

## PARS III.

## AUCTORE HINCMARO ARCHIEPISCOPO REMENSI.

Galindo cognomento Prudentius Trecassinae civitatis episcopus, natione Hispanus<sup>a</sup>, adprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco praedestinatio restiterat, post, felle commotus, contra quosdam episcopos secum heretico resistentes ipsius heresis defensor acerrimus, indeque non modica inter se diversa et fidei adversa scriptitans, moritur; sicque, licet diutino langore fatigaretur, ut vivendi ita et scribendi finem fecit.

Carlomannus, Hlodowici regis Germaniae filius, cum Resticio Winidorum regulo foederatur, a patre deficit et Resticii auxilio magnam sibi partem usque ad Hin fluvium paterni regni praesumit. Hlodowicus socerum Karlomanni, filii sui, Arnustum honoribus privat et nepotes ipsius<sup>1</sup> a regno suo expellit. Qui cum Adalardo, Yrmintrudis reginae avunculo, suo autem<sup>b</sup> propinquo, quem Hlotharius patris sui Hlodowici factione insequabatur, Karolum adeunt. A<sup>c</sup> quo benigne<sup>d</sup> suscipiuntur et honoribus consolantur. Sed et pene omnes qui nuper a Karolo<sup>e</sup> ad Hlodowicum defecerant ad Karolum revertuntur et ab eo familiaritate et honoribus redonantur<sup>f</sup>.

Dani qui pridem Morinum<sup>2</sup> civitatem incenderant de Anglis revertentes, duce Welando cum<sup>g</sup> ducentis et eo amplius navibus per Sequanam ascendunt et castellum in insula quae Oscellus dicitur a Normannis constructum<sup>3</sup> et eosdem Normannos obsident. Ad quorum obsidentium videlicet locarium quinque milia libras argenti cum animalium atque annonae summa non modica de regno suo, ne depraedaretur, exigi Karolus praecepit. Et Sequanam transiens, Meidunum<sup>4</sup> super Ligerim adit, Rodbertum<sup>5</sup> cum placitis honoribus recipit. Qua occasione Guntridus et Gozfridus, quorum consilio Karolus praefatum Rodbertum receperat, cum suis complicitibus gentilitia<sup>h</sup> mobilitate et inolita consuetudine a Karolo ad Salomonem Brittonum ducem deficiunt. Interea Danorum pars altera cum sexaginta navibus per Sequanam

a) Hispanus corr. Hispanus 1. b) aut corr. autem 1. c) in ras. 1. d) beigne 1. e) e corr. 1. f) rodonantur corr. redonantur 1. g) cū inducentis 1. h) gentilia 1.

1) Waldonem abbatem, Utonem et Berengarium comites. 2) Therouanne. 3) V. supra a. 858. 4) Meung (dép. Loiret). 5) Robertus ille est cognomento Fortis, a quo reges Francorum tertiae stirpis originem trahunt. BOUQ.



in fluvium Tellas<sup>1</sup> ascendunt indeque ad obsidentes castellum perveniunt et eorum societate iunguntur. Obsessi autem famis inedia et miseriae omnis squalore compulsi, sex milia libras inter aurum et argentum obsidentibus donant eisque sociantur et sic per Sequanam usque ad mare descendunt. Quos imminens hiemps ingredi mare prohibuit; unde se per singulos portus ab ipso loco usque Parisius<sup>a</sup> secundum suas sodalitates<sup>b</sup> dividunt. Welandus autem per Sequanam usque ad castrum Milidunum cum sociis suis ascendit. Castellani vero cum Welandi filio Fossatis<sup>2</sup> monasterio occupant.

Hincmarus Durocorthori Remorum archiepiscopus synodo conprovinciali<sup>3</sup> apud martyrium<sup>c</sup> sanctorum Crispini et Crispiniani secus civitatem Suessionis Rothadam ipsius urbis episcopum, regulis ecclesiasticis oboedire nolentem, episcopali privat communiōe secundum decreta canonum, donec oboediat.

Karolus, dimisso filio suo Hludowico sub Adalardi, Yrmintrudis reginae avunculi, baiulatione ad custodiam regni contra Normannos, a quibusdam invitatus quasi regnum Provinciae adepturus, quoniam Karolus, Hlotharii quondam imperatoris filius, inutilis atque inconveniēns regio honori et nomini ferebatur, cum uxore Burgundiam usque ad civitatem Matescensium<sup>4</sup> peragrat. Ubi rebus parum prospere gestis, et depraedationibus<sup>d</sup> plurimis populo terrae ingestis, Pontigonem palatium redit. Ibiq̄ missaticum ex parte Hludowici, fratris sui, et Hlotharii, nepotis sui, ab Adventio<sup>e</sup> Mettensium civitatis episcopo et Leutardo comite delatum audit eosque absolvit et diem natalis dominici festive, ut moris est, celebrat.

862.

Karolus per Remi civitatem Suessionis venit. Ubi non incerto nuncio comperit, quia filia eius Iudith, relicta scilicet Edelboldi regis Anglorum, quae<sup>f</sup>, possessionibus venditis quas in Anglorum regno optinuerat, ad patrem rediit et in Silvanectis<sup>5</sup> civitatem debito reginae honore sub tuitione paterna et regia atque episcopali custodia servabatur, donec, si se continere non posset, secundum apostolum, scilicet competenter ac legaliter, nuberet, Balduinum comitem<sup>6</sup>, ipso lenocinante, et fratre suo<sup>7</sup> Hludowico consentiente, mutato habitu

1. Cor. 7, 9.

a) Parisius usque corr. usq. Par. 1. b) solalitates 1. c) ita 1. 1<sup>a</sup>; monasterium corr. P.; sed cf. Ducange IV, p. 307; etiam a. 842. ad martyrium (pro ad memoriam) legendum esse puto. d) deprecationibus 1. e) e corr. 1. f) q. p. e ras. 1.

1) De quo non constat; alii l'Yères, alii la Bethune vel l'Epte intellexerunt; Monod p. 252. 2) S. Maur-des-Fossés. 3) Cuius acta non exstant. 4) Mâcon. 5) Sensis. 6) Flandriae. 7) i. e. Iudithae.



est secuta; sed et quia Hludowicus, filius eius, a praefatis Guntfrido [et<sup>a</sup> Gozfrido] sollicitatus, relictis fidelibus patris, cum paucis noctu aufugit et transfuga ad se sollicitantes pervenit. Unde rex Karolus episcopos et caeteros regni sui primores consulens, post mundanae legis iudicium canonicam in iam dictum Balduinum et Iudith, quae cum fure cucurrit et adulteri portionem se fecit, secundum edicta beati Gregorii: ut, si quis viduam in uxorem furatus fuerit, et consentientes ei, anathema sint, depromi sententiam ab episcopis petiit. Abbatiam quoque Sancti Martini, quam inconsulte praescripto filio suo Hludowico donaverat, non satis consulte Hucberto, clerico coniugato, donavit. Indeque Silvanectum perrexit; ubi dum inmoraretur, expectans, ut ad eum populus conveniret, quatenus aciebus dispositis ex utrisque suis ripis singulae aquae, Isara<sup>1</sup> scilicet, Matrona et Sequana, custodirentur, ne Normanni in praedam ire valerent, nuncium accepit, quia Danorum electi de his qui in Fossatis resederant cum parvis navibus Meldensium civitatem<sup>2</sup> adirent. Ipse autem cum eis quos secum habuit illo pergere maturavit; et quoniam, pontibus a Normannis destructis et navibus occupatis, eos adire non poterat, necessario usus consilio, pontem ad insulam secus Treiectum<sup>3</sup> reficit et Normannis descendendi aditum intercludit, scaras nihilominus ex utraque ripa Matronae ad custodiam deputat. Qua de re Normanni valde constricti, obsides electos et Karolo missos<sup>b</sup> ea conditione donant, ut omnes captivos quos coeperant postquam Matronam intraverant, sine mora aliqua redderent, et aut cum aliis Normannis constituto die placiti a Sequane recedentes mare peterent, aut, si alii cum eis redire non vellent, una cum exercitu Karoli retractantes ire bello adpeterent<sup>c</sup>. Sicque, datis decem obsidibus, sunt ad suos redire permisi. Et post viginti circiter dies ipse Welandus ad Karolum veniens, illi se commendavit et sacramenta cum eis quos secum habuit statim praebuit. Indeque ad naves regressus, cum omni Danorum navigio usque ad Gemeticum<sup>d. 4</sup>, ubi illorum naves statuerunt reficere et vernale aequinoctium exspectare, descendit. Refectis navibus, Dani mare petentes, per plures classes se dividunt et prout cuique visum est in diversa velificant; maior autem<sup>e</sup> pars Brittanos, qui Salomone duce habitant in Niustria, petit; quibus et illi iunguntur qui in Hispania fuerant. De quibus Rotbertus duodecim

a) et Gozfrido *des.* 1; *suppl. edd.*    b) misos *corr.* missos 1.    c) abpeterent 1.  
d) Gemeacum 1.    e) *superscr.* 1.

1) Oise.    2) Meaux.    3) Treiectum-Baldulfi, Trilbardou.    4) Iumièges.



naves, quas Salomon in contrarietatem eius locario iure conduxerat, in fluvio Ligeri<sup>a</sup> capit omnesque qui in illo fuere navigio interfecit, praeter paucos, qui fuga lapsi delituerunt. Rotbertus autem<sup>b</sup> Salomonem sustinere non valens, cum praefatis Normannis qui de Sequana exierunt, antequam eos Salomon sibi adversus eum adscisceret<sup>c</sup>, [datis<sup>d</sup>] utrimque<sup>e</sup> obsidibus, in sex milibus argenti contra eundem Salomonem convenit. Welandus cum uxore et filiis ad Karolum venit et christianus cum suis efficitur.

Carlomannus, Hludowici regis Germaniae filius, concessa sibi a patre regni portione quam pridem invaserat, et dato sacramento, ne amplius inde sine patris voluntate invaderet<sup>f</sup>, cum patre pacificatur.

Hludowicus denique, filius Karoli regis, consilio Guntfridi adque Gozfridi Salomonem adit, validam Brittonum manum optinet et cum eis Rotbertum, patris fidelem, impetit, Andegavum et alios, quae adire potuit, pagos caede, igni, depraedatione devastat. Rodbertus siquidem Brittones redeuntes cum maxima depraedatione aggreditur et plus quam ducentos Brittonum primores occidit et praedam excutit. Quem iterum Hludowicus bello quaerit, in fugam ab eo vertitur, et dispersis sociis, vix evasit.

Karolus rex Aquitanorum, Karoli regis filius, necdum quindecim annos complens, persuasione Stephani<sup>1</sup> relictam Humberti comitis sine voluntate et conscientia patris in conjugem ducit. Sed et sepefatus Hludowicus, frater ipsius Karoli, e vestigio in ipso quadragesimae sanctae initio filiam Harduini quondam comitis, sororem scilicet Odonis sui<sup>2</sup> multum complaciti, sibi conjugem copulat.

Karolus, horum pater, omnes primores regni sui ad locum qui Pistis<sup>2</sup> dicitur, ubi ex una parte Andella et ex altera Audura Sequanam influunt, circa Iunii Kalendas cum multis operariis et carris convenire facit, et [in<sup>d</sup>] Sequana munitiones construens, ascendendi<sup>h</sup> vel descendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit. Ipse cum uxore super Ligerim in loco qui Maidunus<sup>3</sup> dicitur, datis per suos sacramentis, cum Karolo filio loquitur, et eo quasi subito<sup>i</sup>, sed voce submissa, et animo contumaci erecto, in Aquitaniam remeante, ipse ad Pistis, quo placitum simul et synodum<sup>4</sup> ante condixerat, redit et inter operandum de sanctae ecclesiae

a) Ligere *corr.* Ligeri 1.    b) aut *corr.* autem 1.    c) adscisseret 1.    d) *deest* 1.  
e) utrisque *corr.* utrimque 1.    f) evaderet?    g) su *corr.* sui 1.    h) ascendi  
*corr.* ascendendi 1.    i) sudito *corr.*, *ut videtur*, subito 1.

1) *Comitis Arvernorum.*    2) *Pitres, in dioecesi Rotomagensi.*    3) *V. p. 55, n. 4.*    4) *LL. I, p. 478 sqq.*



ac regni negotiis cum fidelibus suis tractat. Ubi Rothadus Suessorum episcopus, homo singularis amentiae, in synodo provinciali regulariter episcoporum communione privatus, cum sua se contumacia quattuor provinciarum concilio praesentavit. Quem fraternus conventus, ne deponeretur, penitus sub appellatione sedis apostolicae servare disposuit. Sed isdem post eiusdem concilii iudicium, unde<sup>a</sup> appellaverat, expetens, constitutis 12 ab eadem synodo iudicii exequendi iudicibus, novus Pharao propter sui cordis duritiam, et vetera secula repraesentans, homo mutatus in beluam, propter designatos excessus, [qui<sup>b</sup> in] gestorum serie continentur, quoniam corrigi noluit, in suburbio Suessorum civitatis deponitur.

Interea contigit miraculum in civitate Morinensi. Nam cuiusdam civis<sup>d</sup> ipsius urbis mancipium mane in die assumptionis sanctae Mariae vestitum lineum quod camisium Aug. 15. vulgo vocatur levigare incipiens, ut illud dominus suus ad missam procedens paratum portare quivisset, ad primum initium quo levigam imprimens traxit vestimentum sanguineum est effectum; sicque, quoties idem mancipium levigam traxit, sanguis est subsecutus, usque quo illud vestimentum totum reiacenti sanguine est infectum. Quod vestimentum Hunfridus venerabilis ipsius civitatis episcopus ad se fecit deferri et in eadem ecclesia ad testimonium reservari. Et quoniam eadem festivitas ab incolis parrochiae<sup>e</sup> illius non feriabatur<sup>f</sup>, et celebrari et feriari debito honore ab omnibus eandem<sup>g</sup> sollempnitatem praecepit.

Hludowicus, qui a patre dudum defecerat, ad eum redit, et veniam ab eo, sed et ab episcopis pro suis excessibus postulans, patri de cetero fore fidelem districtissimis sacramentis se obligat. Cui pater comitatum Meldensem et abbatiam Sancti Crispini donans, cum uxore de Niustria ad se venire praecepit. Hunfrido, super quem Warengaudus infidelitatem miserat<sup>1</sup>, petentibus suis fidelibus, ne configat bello, concessit ipsumque et Warengaudum pacificat.

Hludowicus rex Germaniae Hlotharium, nepotem suum, apud Mogontiam accersiens, petit, ut cum eo contra Windos qui appellantur . . . .<sup>2</sup>, adversus regulum . . . .<sup>3</sup> cum apparatu hostili pergat; qui se primum iturum promisit, post vero a promissione sua defecit. Hludowicus autem, relicto in patria Karolo filio, quoniam nuper uxorem Ercangarii comitis

a) inde 1. b) qui in *des.* 1. c) sirię 1. d) eius *corr.* civis 1. e) *e corr.* 1. f) feriebatur 1. g) eadem *corr.* eandem 1.

1) *i. e. quem infidelitatis accusaverat.* 2) *Abodriti.* 3) *Tabomiuzlem;* cf. *Rudolfi Ann. h. a.*



filiam<sup>1</sup> duxerat, Hludowicum, filium suum, secum ducens, aggreditur Winedos. Unde, quibusdam amissis primoribus et nihil prospere gestis, sub optentu obsidum ad Franconofurth palatium super Moenum fluvium [revertitur<sup>a</sup>]. Dani magnam regni eius partem cede et igni vastantes praedantur. Sed et hostes antea illis populis inexperti, qui Ungri vocantur, regnum eiusdem populantur.

Hlotharius Waldradam concubinam, maleficis ut ferebatur artibus dementatus, et ipsius pellicis<sup>b</sup>, pro qua uxorem suam Theotbergam abiecerat, caeco amore inlectus, faventibus sibi Liutfrido, avunculo suo<sup>2</sup>, et Waltario<sup>3</sup>, qui vel ob<sup>c</sup> hoc maxime illi erant familiares, et, quod nefas est dictu, quibusdam etiam regni sui episcopis consentientibus, coronat et quasi in coniugem et reginam sibi, amicis dolentibus atque contradicentibus, copulat.

Hincmarus Remorum episcopus, veniente Karolo rege in eandem civitatem, accitis comprovincialibus suis episcopis, matrem ecclesiam ipsius provinciae in honore sanctae Mariae, sicut et antiqua fuerat sacrata, venerabiliter dedicat.

Hludowicus rex Germaniae, directis missis blandiloquis ad fratrem suum Karolum, obviam sibi in territorium<sup>d</sup> Tullensem<sup>4</sup> venire petit; et quia Karolus cum Hlothario ante colloqui<sup>e</sup> noluit, quam fratri suo causas diceret quae ei in Hlothario displicebant, non mediocri querela inde sermonibus est conflictum. Tandem Karolus<sup>f</sup> cum episcopis qui secum erant Hludowico et episcopis qui erant cum eo scripto capitulatum ostendit, pro quibus Hlothario communicare nolebat, nisi profiteretur<sup>g</sup>, quod inde aut certam redderet rationem aut secundum auctoritatem dignam ostenderet emendationem. Postquam professionem sub hac convenientia Karolus et episcopi qui cum eo erant in communionem Hlotharium receperunt, et scriptas ac consiliariis recitatas adnunciationes, quas de illorum conventu debuerunt populo nunciare, usi consilio praecipue Hludowicus et Hlotharius Chuomradi, sui consiliarii<sup>h</sup>, Karoli autem avunculi, qui superciliosa, sed frivola et nec sibi adeo nec pluribus proficua, more sueto<sup>i</sup>, scientia nitebatur, ne innotescerentur<sup>k</sup> populo causae, quas Karolus Hlothario reputabat, penitus reiecerunt. Verum Karolus contra eorum vota omnibus pleniter notum fecit, quia pro uxore contra euangelicam et apostolicam auctori-

a) deest 1; suppl. P.; pergit Bouq. Fortasse post obsidum plura exciderunt. b) pellicis 1. c) ab 1. d) territorium 1. e) aloqui 1. f) Karolus corr. Karolus 1. g) profitetur 1. h) consiliari 1. i) sueta 1. k) notescer. corr. innotescer. 1.

1) Richardem. 2) Fratre Irmingardis imperatricis. 3) De quo cf. Dümmler I, p. 478, n. 4) Apud Sablonarias; LL. I, p. 483 sqq.



tatem relicta et altera ducta, et quia uxori Bosonis<sup>1</sup> et Balduino, qui filiam eius furatus fuerat in uxorem, excommunicatis communicaverunt, Hlothario ante praedictam professionem communicare nolebat; sicque condicentes placitum sui conventus in futuro mense Octobrio in confinio Mosomagensis<sup>2</sup> et Vonzensis<sup>3</sup> comitatus, ab invicem<sup>a</sup> secesserunt. Hludowicus ad reconciliandum vel ad resistendum filio suo Karlomanno, qui auxiliante Resticio<sup>b</sup> Winidorum regulo contra patrem rebellaverat, Baioariam petiit. Karolus de Tullensi territorio per Pontigonem, inde secus littora<sup>c</sup> Matronae fluminis Carisiacum revertitur ibique dominici natalis diem reverentissime celebrat

## 863.

Dani mense Ianuario per Rhenum<sup>d</sup> versus Coloniam navigio ascendunt, et depopulato emporio quod Dorestatus dicitur, sed et villam non modicam<sup>e</sup>, ad quam Frisii confugerant, occisis multis Frisiorum negotiatoribus, et capta non modica populi multitudine, usque ad quandam insulam secus castellum Novesium<sup>4</sup> perveniunt. Quibus Hlotharius ex una parte Rheni cum suis et Saxones ex alia parte adgrediuntur et usque circa Kalendas Aprilis considunt. Unde idem Dani consilio Rorici, sicut accesserant, et recedunt.

Karolus, Hlotharii imperatoris filius et rex Provinciae, diu epeleptica infirmitate vexatus, moritur. Hludowicus frater eius, Italiae vocatus imperator, Provinciam venit et quos potuit ipsius regni primores sibi conciliavit. Hoc audito, Hlotharius illuc pergit, et mediantibus inter eos domesticis et amicis illorum placitum, quo simul redeant et de ipso regno apud se tractent<sup>f</sup>, Hludowicus Italiam, Hlotharius in regnum suum revertitur.

Karolus rex Cinomannis civitatem adit indeque usque ad monasterium quod Interannis<sup>5</sup> dicitur procedit. Ubi Salomon dux Brittonum cum primoribus suae gentis illi obviam venit seque illi commendat et fidelitatem iurat omnesque primores Britanniae iurare facit et censum illius terrae secundum antiquam consuetudinem illi exsolvit. Cui Karolus ob fidelitatis suae meritum partem terrae quae Inter-duas-aquas dicitur et abbatiam Sancti Albini<sup>6</sup> in beneficium donat.

a) e corr. 1.    b) Refeccio 1. 1<sup>a</sup>; emend. Bouq.    c) littera 1.    d) Renum corr. Rhenum 1.    e) nonmodocam 1; modicam corr. modocam 1<sup>a</sup>; P. emend.; Dor. dep. villa ad q. Chr. Norm.    f) tractant 1.

1) Ingeldrudi.    2) Mouzon.    3) Voncq (dép. Ardennes); Monod p. 252.  
4) Neuss.    5) Entrammes; olim virginum monasterium (dép. Mayenne).  
6) Andegavis.



Gozfridum et Roricum atque Heriveum caeterosque qui ab eo nuper sicut et saepe defecerant recipit et cum indulgentia honoribus donat. Indeque Cinomannis revertitur et pascha

Apr. 11. Domini celebrat.

Hunfridus Gothiae marchio sine conscientia Karoli regis, factione solito more Tolosanorum, qui comitibus suis eandem civitatem supplantare sunt soliti, Tolosam Reimundo subripit et sibi usurpat.

Karolus rex de partibus Transsequananis regrediens, Liutardum Papiæ episcopum de parte Hludowici imperatoris Italiae et Gebahardum Spirens<sup>a</sup> episcopum de parte Hludowici, fratris sui, regis Germaniae, et Nantharium comitem de parte Hlotharii, nepotis sui, accipit pro pace petentibus<sup>b</sup>; quam idem Karolus semper servare voluit, quantum infestatio contrariorum sibi permisit. Sed et alium missum fratris sui Hludowici nomine Blitgarium accipit, petentem, ut Karlo-mannum, filium eius, a Restitio Winido desertum et [a<sup>c</sup>] se fugatum, si ad illum venerit, non recipiat. Quem non longo<sup>d</sup> post tempore, deceptum atque desertum a suis, sub conditione sacramenti pater suus Hludowicus recepit et secum in libera custodia tenuit.

Karolus missos domni apostolici Nicolai, Raduoldum scilicet Portuensem episcopum et Iohannem Ficodensem<sup>e.1</sup> episcopum, satis honorifice Suessionis in monasterio Sancti Medardi recipit. Quos aliquandiu secum retinuit, et concessa Balduino, qui ad limina apostolorum confugium fecerat, indulgentia, pro cuius obtentu venerant, cum epistolis ad apostolicam<sup>f</sup> sedem redire muneratos absolvit. Idem autem apostolicae sedis legati Mettis adeunt, synodum habituri ex delegatione apostolica circa medium mensem Iunium pro divortio, quod inter Lotharium et uxorem suam Theotberga acciderat, et pro superinductione concubinae Waldradae, quam contra leges ecclesiasticas et mundanas in uxorem sibi adsciverat. In qua synodo praefati missi, corrupti muneribus, epistolas domni apostolici occultantes, nihil de his quae sibi commendata fuerunt secundum sacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Coloniensem<sup>g</sup> archiepiscopum et Theutgaudum<sup>h</sup> Treverensem aequae archiepiscopum cum neniis<sup>i</sup>, quas in eadem synodo subscripserunt episcopi regni Hlotharii factione Haganonis versuti et cupi-

a) Spiren 1. b) petentes *edd.* c) *deest* 1. d) longe 1. e) Ficoclensem 1. f) apostolicum 1. g) Coloniensem 1. h) Theutgandum 1. i) ueniis 1; *pro quo legendum censuit P. gestis; sed neniis restituendum esse puto, collato loco a. 867, p. 90.*

1) *i. e. Cerviensem. Cervia Ravennatis ecclesiae est suffraganea.*



dissimi Italicae regionis episcopi<sup>1</sup>, Romam ire iusserunt, ut iudicio domni apostolici ipsa causa diffiniretur. Domnus apostolicus quae acta fuerant plene cognoscens, et Radoaldum similiter<sup>a</sup> cupiditate in Constantinopoli cum Zacharia socio suo episcopo nuper corruptum dampnare volens, synodum convocavit. Quod sentiens Radoaldus, noctu fuga lapsus, disparuit. Guntharius vero et Theutgaudus Romam peruenientes, primum in synodo et postea in ecclesia sancti Petri, sicut habetur in subditis<sup>2</sup>, ab apostolico sunt damnati:

*Nicholaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, Hicmaro<sup>b</sup> Remensi et Waniloni Rotomagensi seu omnibus confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Karoli gloriosi regis consistentibus. Scelus, quod Hlotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theotberga scilicet et Waldrada, commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum episcopos Theotgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse auctores<sup>c</sup> atque factores<sup>d</sup>, pene totus nobis orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat, absentibus quoque id ipsum nostro scribentibus apostolatui. Quod nos tanto credere rennuimus, quanto de episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus; donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis et sancta synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis saepissime praedicati; ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus quamque volebant ut nostro roboraremus cyrographo, caperentur et, dum muscipulam innocentibus opponere satagerent, insidiis suis illaqueati sint<sup>e</sup>. Sicque completum est Deo auctore, quod in Proverbiis legitur: 'Frustra iacitur<sup>f</sup> Prov. 1, 17. rete ante oculos pennatorum'. Siquidem ipsi obligati sunt et ceciderunt; nos vero, qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamus, faciente<sup>g</sup> Domino cum iustitiae propugnatoribus resurreximus et erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo, in praesentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas canonum normam custodiens et decretorum sanctiones observans, caveat, ne hos quos nos abiicimus recipere in sacerdotum*

a) simili? P.    b) ita 1.    c) tutores F.    d) i. e. fautores, ut F. legunt.    e) sunt ipsi. Sic F.    f) iactatur a. o. r. p. F.    g) favente F.

1) Bergamensis.    2) Eadem episcopis in regno Hludowici directa Ann. Fuldenses (F.) exhibent.



*cathalogo<sup>a</sup> praesumat. Depositionis autem sententia, quam in praedictos Theotgaudum et Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quae sancto concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstrabitur.*

*Cap. 1. De<sup>b</sup> synodo in Mettensium urbe a Theotgaudo et Gunthario archiepiscopis congregata penitus abolenda.*

*Synodum, quae nuper, id est sub piissimo imperatore Hludowico per indictionem undecimam mense Iunio, in Mettensium urbe ab episcopis, qui nostrum praevenerant iudicium, collecta est, quique apostolicae sedis instituta temere<sup>c</sup> violarunt, extunc et nunc et in aeternum iudicamus esse cassatam, et cum Ephesino latrocinio reputatam, apostolica auctoritate in perpetuum sancimus<sup>d</sup> esse dampnandam, nec vocari synodum, sed tamquam adulteris faventem, prostibulum appellari decernimus.*

*Cap. e 2. Deposito<sup>b</sup> Theotgaudi et Guntharii archiepiscoporum.*

*Theotgaudum Treverensem, primatem Belgicae provinciae, et Guntharium Agripinae Coloniae episcopos, nunc coram nobis et sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Hlotharii regis et duarum mulierum eius, Theotbergae scilicet et Waldradae, recognoverint<sup>f</sup> et iudicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse, ore proprio multis coram positis affirmantes, et sententiam, quam a sede apostolica in Ingildrudem, uxorem Bosonis, sanctissimus frater noster Mediolanensis archiepiscopus Tado et ceteri coepiscopi nostri petiverant emittendam, et nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publice viva voce se<sup>g</sup> violasse confitentes; — in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse et aequitatis normam nequiter temerasse —: omni iudicamus sacerdotii officio manere penitus alienos, Spiritus sancti iudicio et beati Petri per nos auctoritate omni episcopatus exutos regimine consistere diffinientes. Quod si iuxta praecedentem consuetudinem tamquam episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes eis omnes abici de ecclesia, et maxime, si postea quam didicerant<sup>h</sup>, adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare temptaverunt<sup>i</sup>.*

a) catalogo corr. cathalogo 1. b) rubra deest 1<sup>a</sup>. c) tenere 1. d) e. s. F. e) deest 1. f) se r. F. g) si corr. se 1. h) didicerint F. i) temptaverint F.



Cap. 3. *De ceteris episcopis.*

Ceteri autem episcopi, qui complices horum, Theotgaudi scilicet et Guntharii, vel sectatores esse feruntur, si cum his coniuncti seditioes, coniurationes vel conspirationes fecerint, vel si a capite, id est a sede beati<sup>a</sup> Petri, illis haerendo dissenserint, pari cum eis dampnatione teneantur obstricti<sup>b</sup>. Quod si cum sede apostolica, unde eos principium episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cetero per semet ipsos, vel missis ad nos legatis cum scriptis suis, se<sup>c</sup> professi extiterint, noverint sibi a nobis veniam non negandam, nec<sup>d</sup> amissionem honorum suorum pro retroactis praesumptionibus aut subscriptionibus, quas in<sup>e</sup> profanis fecerunt gestis, per nos ullo modo formidandam.

Cap. 4. *De Ingildrude.*

Ingildrudem, filiam quondam Mactifredi comitis, quae<sup>f</sup>, Bosone proprio viro relicto, ecce iam per septem circiter annos hac atque illac vagabunda discurrens, nuper cum factoribus<sup>h</sup> suis regulariter anathematizavimus, sed propter contumaciam<sup>i</sup> iterato anathematis duximus vinculis innodandam. Sit igitur a Patre et Filio et Spiritu sancto, uno et vero Deo, et ab omnibus sanctis patribus et ab universa sancta Dei catholica et apostolica ecclesia et a nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus, communicatoribus atque auxiliatoribus suis, ita ut, sicut iam decrevimus, si quis ei communicare vel favere in aliquo praesumpserit, si quidem clericus fuerit, eodem<sup>k</sup> vinculo constrictus officium clericatus amittat, monachi vero et laici, si inoboedientes decreto praesenti fuerint, similiter anathematizentur. Sane si eadem mulier ad virum suum reversa fuerit vel apostolicam beati Petri sedem Romam properans accesserit<sup>g</sup>, veniam ei post dignam satisfactionem procul dubio non denegabimus<sup>l</sup>; verumtamen sub priori vinculo anathematis, quo illam prius et nunc obligavimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Ingildrudi ad apostolicam beati Petri sedem Romam specialiter properanti vel occurrenti nescius communicaverit aut sciens opem in veniendo praestiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur annexus<sup>m</sup>.

Cap. 5. *De sententiis atque interdictis sedis apostolicae.*

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro

a) deest 1.    b) astricti F.    c) deest F.    d) ne 1.    e) pro infanis vel pro infanis F.    f) qui 1.    g) deest F.    h) fautoribus F.; cf. supra p. 63, n. d.    i) contumaces eam 1.    k) in e. F.    l) negabimus F.    m) innexus F.



*correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

*Optamus<sup>a</sup> sanctitatem vestram in Christo bene valere<sup>b</sup>.*

Karolus 8. Kalend. Novembris synodum in Vermeria palatio habuit, ibique abbatiam Sancti Carilephi<sup>1</sup> super Robertum episcopum Cinomannicae urbis, qui eam per apostolicae [sedis<sup>c</sup>] commendationem iuri sui episcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter evindicavit, et Rothadum nuper depositum, sicut domnus papa ei mandaverat<sup>2</sup>, cum suis et episcoporum litteris atque vicariis Romam misit. Iudith, filiam suam, per deprecationem domni apostolici ad pacem et legatum Mahomot regis Sarracenorum cum magnis et multis muneribus ac litteris de pace et foedere amicali loquentibus sollempni more suscepit; quem cum honore et debito salvamento ac subsidio necessario in Silvanectis civitate oportunitate tempus, quo remitti honorifice ad regem suum posset, opperiri disposuit. Indeque cum valida manu ad recipiendum virtute filium suum Karolum, si aliter nollet venire, hostiliter versus Aquitaniam pergit et ad Autisiodorum civitatem usque pervenit, ibique filiam suam Iudith, sicut dominus apostolicus eum petierat, consilio fidelium suorum Balduino, quem secuta fuerat, legaliter coniugio sociari permisit. Inde Nivernum civitatem perrexit; ubi filium suum Karolum ad se venientem recepit et sibi fidelitatem et debitam subiectione<sup>d</sup> promitti sacramento praecepit et omnes primores Aquitaniae iterum sibi iurari<sup>d</sup> fecit. Duo quoque Nortmanni, qui nuper cum Welando, christianitatem dolo, ut tunc dicebatur et post claruit, postulantes<sup>e</sup>, de navibus exierunt, super eum<sup>3</sup> infidelitatem miserunt. Quorum unus secundum gentis suae morem cum eo negante<sup>f</sup> armis coram rege contendens, illum in certamine interfecit. Interea tristi nuncio comperit, quod Nortmanni Pictavis venerant, et sub redemptione<sup>g</sup> civitate servata, ecclesiam sancti Hilarii magni confessoris incenderint. Natale autem Domini in eodem loco secus Nivernum civitatem, ubi filium suum receperat, celebravit

864.

Karolus Aquitanios hostiliter contra Normannos, qui ecclesiam sancti Hilarii incenderunt, disposito exercitu ire

a) Opt. valere des. F. b) valaere 1. c) deest 1; apostolicam c. edd. d) ita 1. e) postulante 1. f) negente corr. negante 1. g) redemptionis 1.

1) Saint Calais. 2) V. Nicolai epistolam, Mansi XV, p. 300. 3) i. e. Welandum.



praecipiens, filium et aequivocum<sup>a</sup> suum Karolum secum ducens, Compendium rediit, missos suos ad recipiendos<sup>b</sup> civitates et castella in Gothiam misit. Nortmanni Arvernum civitatem petunt, ubi Stephanum, Hugonis filium, cum paucis suorum interfectum, inpune ad suas naves redeunt. Pippinus, Pippini filius, ex monacho laicus et apostata factus, se Normannis coniungit et ritum eorum servat. Karolus iuvenis, quem pater nuper ab Aquitania receptum Compendium secum duxerat, noctu rediens de venatione in silva Cotia<sup>1</sup>, iocari cum aliis iuvenibus et coaevis suis putans, operante diabolo ab Albuino iuvene in capite spatha percutitur pene usque ad cerebrum; quae plaga a tempore sinistro usque ad malam<sup>c</sup> dexteræ maxillae pervenit<sup>2</sup>.

Hlotharius, Hlotharii filius, de omni regno suo quattuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum multa pensione farinae atque pecorum necnon vini ac siceræ Rodulfo Normanno, Herioldi filio, ac suis locarii nomine tribuit.

Hludowicus, imperator Italiae nominatus, in centore Gunthario ad suam iniuriam referens, quoniam legatos sui fratris Hlotharii per ipsius fiduciam et interventionem Romam directos apostolicus, ut supra monstravimus, degradavit, seque ipsum furore non capiens, comitantibus secum eisdem legatis Theutgaudo atque Gunthario, cum coniuge Romam ea intentione pergit, quatenus aut a<sup>d</sup> papa Romano idem restituerentur episcopi, aut hoc facere non volenti noxie quodammodo manum mitteret. Quod audiens apostolicus, cum laetaniis generale ieiunium sibi et Romanis indixit, ut Deus apostolorum suffragiis praefato imperatori mentem bonam et reverentiam erga divinum cultum et apostolicae sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam et secus basilicam beati Petri degente, clerus et populus Romanus cum crucibus et laetaniis ieiunium celebrantes, beati Petri memoriam adeunt, et ab hominibus imperatoris, cum gradus ante basilicam beati Petri ceperunt ascendere, in terram prostrati et variis ictibus flagellati, et crucibus ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt fugati sunt. In quo tumultu et crux mirabilis et veneranda a sanctae memoriae Helena decentissime fabricata, in qua lignum vivificae crucis posuit et sancto Petro munere maximo contulit, confracta et in lutum proiecta est; unde a quibusdam, ut fertur, Anglorum gentis hominibus collecta et custodibus reddita

a) æquicum corr. æquivocum 1. b) ita 1. c) malum 1. d) aut papa Romanus 1.

1) 'La forêt de Cuise'. 2) Cf. *Regin. a.* 870.



est. Quae flagitia ut apostolicus in Lateranensi palatio degens comperit et paulo post illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter navem intravit et per Tyberim ad ecclesiam sancti Petri se contulit, ubi duobus diebus ac noctibus sine cibo ac potu mansit. Interea homo cuius praesumptione praefata crux veneranda confracta fuerat moritur, et imperator febre corripitur. Quapropter coniugem ad apostolicum mittit. Cuius fidei iussione apostolicus ad imperatorem venit, et habita mutua sermocinatione, sicut inter eos convenit, apostolicus Romam ad Lateranense palatium rediit. Tunc imperator Guntharium et Theutgaudum degradatos, ut secum venerant, Franciam redire praecepit. Tunc Guntharius haec diabolica capitula et actenus inaudita, quae cum hac praefatione, quando Romam, ut praemisimus, in Hludowici obsequio rediit, episcopis regni Hlotharii misit, per Hilduinum, fratrem suum, clericum, adiunctis ei suis hominibus, apostolico misit, dans illi in mandatis, ut, si apostolicus illa nollet recipere, super corpus beati Petri ea iactaret:

*Sanctis ac venerandis fratribus et coepiscopis Guntharius atque Theotgaudus in Domino salutem. Rogamus suppliciter carissimam fraternitatem vestram, ut nobis pro vobis assidue orantibus sanctarum precum solatia instanter impendatis, et ne turbemini neque terreamini pro his quae fama forte<sup>a</sup> de nobis vobis<sup>b</sup> sinisterius nuntiat. Confidimus de Domini nostri clementissima bonitate, quia neque in regem nostrum neque in nos, opitulante Deo, inimicorum praevalerunt insidiae, neque gaudebunt de nobis adversarii nostri. Nam, quamvis dominus Nicolaus, qui dicitur papa et qui se apostolum inter apostolos adnumerat totiusque mundi imperatorem se facit, ad illorum instinctum et votum, quibus conspiratus favere dinoscitur, nos dampnare voluisset, tamen modis omnibus Christo propitio suae insaniae renitentes invenit, et quicquid inde fecit, non mediocriter illum postmodum poenituit. Misimus vobis haec subscripta capitula, quibus cognoscatis nostram adversus praefatum pontificem querimoniam. Nos autem egressi a Roma longiusque recedentes, iterum ad Romam revocati sumus. Quo nos incipientes reverti, has<sup>c</sup> vobis litterulas scripsimus, ut non<sup>d</sup> miremini, quod longiores agimus moras. Dominum regem nostrum tam per vos ipsos quam per vestros missos et litteras saepius visitate et confortate eique quoscumque<sup>e</sup> potestis amicos et fideles conciliate, maxime Hludowicum regem admonendo semper invitate et cum illo de communi utilitate diligenter inquirete, quoniam in pace eorum regum<sup>f</sup>*

a) sorte 1.    b) a v. 1; ac v. edd.    c) bis scr. 1.    d) nos 1.    e) quocumque 1.  
f) regnum 1.



erit pax nostra. Aequo animo estote et tranquillo corde, domini fratres, quia Deo volente talia vobis nuntiare speramus, in quibus absque errore poteritis advertere, spiritu Domini docente, quid et quomodo agere debeatis. Tantum omnimodis praefatum regem commonere curate, ut inter varias suggestiones ita maneat immobilis, donec et ipse rerum causas cognoscat. Ceterum, desiderantissimi fratres, necessarium vobis est et laude dignum, ut promissam regi nostro fidem coram Deo et hominibus inviolabiliter conservemus. Deus omnipotens vos in suo sancto servitio conservare dignetur!

Cap. 1. Audi<sup>1</sup>, domne papa Nicolae. Patres<sup>a</sup> et fratres coepiscopi nostri ad te nos direxerunt, et nos sponte venimus<sup>b</sup>, consulere videlicet<sup>c</sup> tuum magisterium super his<sup>d</sup> quae pariter, prout nobis visum fuit, et adicientibus<sup>e</sup> et approbantibus notum esse potuit, iudicavimus, auctoritates rationesque, quas secuti fuimus, scriptis ostendentes, ut tua sapientia, perscrutatis omnibus, quid inde sentiret<sup>f</sup> et quid vellet, nobis demonstraret. Et si melius illud tua sanctitas inveniret, ut nos instrueres et doceres hoc<sup>g</sup>, humiliter postulamus, parati, quicquid rectius et probabiliter<sup>h</sup> insinuares, una cum confratribus nostris sanis adquiescere documentis.

Cap. 2. Sed nos per tres ebdomadas tuum exspectantes responsum, nihil certitudinis nihilque doctrinae nobis expressisti, sed<sup>i</sup> tantum quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere et innocentes iuxta nostri adsertionem<sup>k</sup> libelli.

Cap. 3. Ad ultimum<sup>l</sup> nos evocati, ad tuam praesentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes; ibique obseratis<sup>m</sup> ostiis, conspiratione<sup>n</sup> more latrociniali facta, et ex clericis et laicis turba collecta et permixta, nos opprimere<sup>o</sup> inter tantos violenter studuisti<sup>p</sup>, atque sine synodo et canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretionem dirimente vel auctoritatum probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis metropolitanis et dyocesaneis coepiscopis et

a) P. episcopi et F.      b) ivimus F.      c) expleta generali legatione add. F.  
d) specialiter add. F.      e) ita etiam F., ubi P. addicentibus corr.; et appr. des. ib.  
f) sentires — velles, n. paterno demonstrares affectu nosque fraterna caritate procurares F.      g) deest F., ubi pergitur: suppliciter obsecravimus.      h) probabilius esset libenter amplecti F.      i) deest F.      k) assertiones F.      l) autem add. F.  
m) obserratis 1.      n) f. m. l. c. ex F.      o) v. i. t. o. F.      p) longa scilicet intercapedine a nostris et clericis et laicis separatos add. F.

1) Eadem Ann. Fuldenses praebent ita incipientia: Nicolao pontifici Guntharius atque Theotgaudus. Cum etiam post saepius differant, duplicem epistolae formam tunc propagatam esse, censendum est.



confratribus nostris, extra omnium omnino consensum tuo solius arbitrio et<sup>a</sup> tyrannico furore dampnare<sup>b</sup> nosmet voluisti.

Cap. 4. Sed<sup>c</sup> tuam maledictam sententiam, a paterna benignitate alienam, a fraterna karitate extraneam, adversum nos iniuste et irrationabiliter contra leges canonicas prolatam, nequaquam recipimus, immo [cum<sup>d</sup>] omni cetu fraterno quasi maledictum<sup>e</sup> frustra prolatum contempnimus atque abicimus. Te<sup>f</sup> ipsum quoque, dampnatis et anathematizatis sacramque religionem abicientibus ac contempnentibus faventem et communicantem, in nostram communionem nostrumque consortium recipere nolumus, contenti<sup>g</sup> tocius aecclesiae communionem<sup>h</sup> et fraternam societatem, quam<sup>i</sup> tu arroganter te superexaltans despicias, teque ab ea elationis tumore indignum faciens sequestras<sup>k</sup>.

Cap. 5. Igitur ex tuae levitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis pestem<sup>l</sup> inflixisti, exclamans: 'Qui apostolica praecepta non servat, anathema sit'; quae tu multipliciter violare et violasse dinosceris, divinas leges simul et sacros canones<sup>m</sup>, quantum in te est, evacuans, praedecessorum tuorum pontificum Romanorum vestigia sequi nolens.

Cap.<sup>n</sup> 6. Nunc ergo, quia<sup>o</sup> fraudulentiam et calliditatem tuam<sup>p</sup> experti sumus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati sumus, sed contra tuam iniquitatem zelo<sup>q</sup> accensi, nec nostrae vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim<sup>r</sup> inferre conaris, prae oculis habentes:

Cap.<sup>s</sup> 7. Quid nostrae specialis propositionis summa fuerit, in paucis replicamus. Lex divina et canonica apertissime probat, etiam et venerandae seculi leges adstipulantur, quod nulli licet ingenuam virginem alicui viro tradere in concubinatum, maxime si illa puella numquam illicitae adsentire copulae voluit; et quia suo viro parentum consensu, fide, affectu ac dilectione coniugali sociata est, uxor profecto, non concubina, habenda sit.

Apostolicus autem praecognitus haec recipere noluit. Suprascriptus autem Hilduinus armatus cum hominibus Guntharii ecclesiam beati Petri apostoli sine ulla reverentia in-

a) ex 1. b) n. d. v. F., ubi plura adduntur. c) Ergo tuam pravam s. a zelo rectitudinis alienam, iniustam et irrationabilem, canonicis legibus contrariam, neq. rec. F. d) deest 1. e) nefas atque m. F. f) tibi que anathematorum et religionis sacrae abicentium et contemptorum fautori et communicatori revera communicare nolumus F. g) contempti 1. h) communionem et fraternam societatem F. i) quantum a. 1. k) segregas F. l) plagam F. m) calcans et add. F. n) Cap. 6. deest F. o) qui F. p) deest F., ubi post experti sumus plura adduntur. q) ecclesiastico z. F. r) cum 1. s) sequentia om. F.



trans, diabolicum scriptum, sicut suus frater Guntharius ei praeceperat, si apostolicus illud nollet recipere, super corpus beati Petri iactare voluit, et a custodibus prohibitus, eosdem custodes cum fustibus tam ipse quam et sui complices verberare ceperunt, adeo ut unus ibidem occisus fuerit. Tunc ipsum scriptum super corpus beati Petri iactavit, seque isdem et qui cum eo venerunt evaginatiis gladiis se protegentes, de aeclesia exierunt et ad Guntharium, peracto lugendo negotio, redierunt. Imperator autem post paucos dies, patris a comitatu suo multis depraedationibus et mansionum destructionibus ac sanctimonialium ceterarumque feminarum constuprationibus<sup>a</sup> atque hominum cedibus necnon et aeclesiarum infractionibus, Roma exiens, Ravennam venit ibique pascha dominicum cum tali sicut meruit Dei et apostolorum <sup>Apr. 2.</sup> gratia celebravit. Guntharius autem in ipsa coena Domini Coloniam veniens, missas celebrare et sacrum chrisma conficere, ut homo sine Deo, praesumpsit; Theutgaudus vero a ministerio, sicut ei fuerat praeceptum, se reverenter abstinuit. Ceteris denique episcopis apud Hlotharium id satagentibus, episcopatum a Gunthario Hlotharius tulit, et suo tantum consilio Hugoni<sup>b</sup>, Chuonradi, Karoli regis avunculi, et materterae suae filio, tonsura clerico et ordinatione tantummodo subdiacono, moribus autem et vita a fidei laico discrepanti, donavit. Unde motus Guntharius, quicquid de thesauro ecclesiastico in eadem civitate fuit residuum auferens, Romam iterum, ut omnia Hlotharii et sua figmenta de Theutberga et Waldrada apostolico ex ordine pandat, regreditur. Sed et episcopi regni Hlotharii legatos suos cum libellis poenitentiae et professionibus canonicis, quoniam ab euangelica veritate et apostolica auctoritate sacrisque regulis in causa Theutbergae ac Waldradae non mediocriter deviaverant, ad apostolicum dirigunt<sup>1</sup>. Hlotharius vero, Ratoldo Argentoratensis urbis episcopo cum scriptis falsa more suo de sua excusatione et voluntaria correctione loquentibus praemisso<sup>2</sup> ad apostolicum, ipse per Gundulfi-villam<sup>3</sup> et Romerici-montem obviam fratri suo ad locum qui Urba<sup>4</sup> dicitur vadit.

Karolus cum epistolis per Rodbertum Cinomannicae urbis episcopum Romam, sicut apostolicus iusserat, Rothadum dirigit; sed et episcopi regni eius vicarios suos cum synodicis litteris de causa ipsius Rothadi ad apostolicam

a) e corr. 1. b) et Chuonrado . . . avunculo mat. mire corrupte 1.

1) *Adventii episcopi Metensis libellum apologeticum v. ap. Baronium, Ann. a. 862.* 2) *Mansi XV, p. 384.* 3) *Gondreville prope Toul.* 4) *Orbe.*



sedem mittunt. Quibus Hludowicus transitum denegat. Ipsi autem legati tam regis quam episcoporum impossibilitatis suae causas Romam veniendi clanculo papae cognitae faciunt. Rothadus<sup>a</sup> simulata infirmitate Vesontio, ceteris patriam repedantibus, remanet, et post aliorum regressum per Curiam, suffragantibus sibi Hlotharii et Hludowici Germaniae regis fautoribus, Hludowicum imperatorem Italiae adiit, quatenus ipsius solatio Romam valeat pervenire.

Missi regis Karoli parum pro quibus missi fuerant utilitatis agentes, a negotio revertuntur; et Huntfrido, dimissa<sup>b</sup> Tholosa ac Gotia, per Provinciam in partes Italiae trans-eunte, iterum alios missos ad recipiendas civitates et castella Karolus ad Tholosam et in Gotiam mittit.

Hludowicus rex Germaniae hostiliter obviam Bulgarorum cagano . . . .<sup>c</sup> nomine, qui se christianum fieri velle promiserat, pergat; inde ad componendam Winidorum marcam, si se prosperari viderit, perrecturus.

Northmanni, qui cum plurimo navigio in Flandris appulerunt, resistentibus sibi pagensibus, per Rhenum ascendunt, et vicinia regnorum Lotharii ac Hludowici ex utraque ripa ipsius fluminis vastant.

Karolus Kalendas Iunii in loco qui Pistis dicitur generale placitum habet. In quo annua dona, sed et census de Britannia a Salomone Brittanorum duce sibi directum more praedecessorum suorum, quinquaginta scilicet libras argenti, recipit, et firmitates in Sequana, ne Nortmanni per idem fluvium possint ascendere, ibidem fieri iubet. Capitula etiam ad triginta et septem consilio fidelium suorum more praedecessorum ac progenitorum suorum regum constituit et ut legalia per omnem regnum suum observari praecepit<sup>1</sup>.

Pippinus apostata a<sup>2</sup> Nortmannorum collegio ab Aquitanis ingenio capitur et in eodem placito praesentatur et primum a regni primoribus ut patriae et christianitatis proditor et demum generaliter ab omnibus ad mortem diiudicatur et in Silvanectis artissima custodia religatur. Bernardus, Bernardi quondam tyranni carne et moribus filius, licentia regis accepta de eodem placito quasi ad honores<sup>d</sup> suos perrecturus, super noctem armata manum<sup>e</sup> regreditur, et in silva se occulens, ut quidam dicebant, regem, qui patrem suum Francorum iudicio occidi iusserat, et, ut quidam dicebant,

a) Rothardus corr. Rothadus 1. b) dimisso 1. c) aut hic nomen cagani aut post Bulgarorum vocem regi excidisse patet. P. d) hoies corr. honores 1. e) ita 1.

1) *LL. I, p. 488 sqq.* 2) *Cf. initium anni; sed verba haec quid sibi velint, non satis elucet; fortasse legendum: ac Nortmannorum collega.*



Rodbertum et Ramnulfum, regis fideles, malitiis occidere locum et horam expectat. Quod regi innotuit; et mittens qui eum caperent et ad praesentiam illius adducerent, fuga sibi consuluit. Unde iudicio suorum fidelium honores quos ei dederat rex recepit et Rotberto, fideli suo, donavit. Egfridus<sup>1</sup>, qui transactis temporibus cum Stephano filium et aequivocum regis ab obedientia paterna subtraxerat, a Rodberto capitur et regi in eodem placito praesentatur. Cui rex per deprecationem ipsius Rodberti ceterorumque suorum fidelium quod in eum commiserat perdonavit<sup>2</sup>, et sacramento firmatum ac sua gratia muneratum inlesum abire permisit.

Karolus a loco qui Pistis dicitur revertens, intrat Compendium circa Kalendas Iulii, missum Mohometh regis Saracenorum, qui ante hiemem ad se venerat, muneratum cum plurimis et maximis donis per suos missos ad eundem regem satis honorifice remittit.

Karlomannus, filius Hludowici regis Germaniae, qui in libera custodia cum patre suo morabatur, simulans se venatum ire, a patre fuga labitur et marcas sibi a genitore ablatas cum consensu marchionum qui eum tradiderant reoccupat. Quem pater e vestigio insequens, sub firmitatum conditionem ad se venire facit et ei honores donat<sup>3</sup>. Indeque revertens versus palatium Franconoford, in quodam broilo<sup>4</sup> cervum venans de caballo cadit et costis lesus in vicino monasterio iacet filiumque suum Hludowicum ad praedictum palatium, ubi uxor eius erat, praemittit, ipseque in brevi convalescens subsequitur.

Nicolaus papa denuo epistolas per omnes archiepiscopos et episcopos Galliarum, Germaniarum et Belgicae provinciae mittit pro confirmatione depositionis Theutgaudi Treverorum et Gunthari<sup>a</sup> Coloniensis archiepiscoporum<sup>5</sup>. Sed et aliis episcopis, qui ex regno Hlotharii in divortio Theutbergae et superinductione concubinae Waldradae consenserunt et ad eum cum professione sua miserunt epistolas suas indulgentiam largientes, sicut in scripto superius continente promiserat, dedit<sup>6</sup>. Synodum Romae convocat circa Kalendas Novembris, indicans, se in ea eorundem olim archiepiscoporum depositionem denuo confirmaturum et tractaturum de causa Hlotharii et Ignatii Constantinopolitani episcopi, praece-

a) Gainthari 1.

1) *Egfridus idem videtur esse ac Aefridus, cui iam abbatiam Sancti Hilarii habenti dedit Karolus Calvus comitatum Bituricensem a. 867. BOUQ.*

2) *Perdonare 'pardonner'. 3) Cf. Dümmeler I, p. 528, n. 4) Nostrum 'brühl', nemus. 5) Cf. Jaffé nr. 2090. 6) Ibid. nr. 2092. 93.*



denti<sup>1</sup> anno depositi, in cuius loco quidam laicus attonsus et mox episcopus est ordinatus. Ad quam synodum praedicti Theutgaudus et Guntharius sponte perrexerunt, putantes, Hludowici imperatoris interventu ab apostolico posse restitui.

Hludowicus, imperator Italiae nominatus, a cervo, quem in rugitu<sup>2</sup> posito<sup>a</sup> sagittare voluit, gravissime vulneratur. A Nicolao Romanae sedis pontifice per Arsenium apocrisiarium petitur, ut eidem papae legatos suos liceat pro quibusdam causis aecclesiasticis ad Karolum mittere; sed credens, quia non sincera intentione adversus eum velit Franciam missos suos dirigere, contradicit.

Hugbertus clericus coniugatus et abbas monasterii Sancti Martini, qui Sancti Mauricii abbatiam et alios honores Hludowici imperatoris Italiae contra voluntatem ipsius tenebat, ab hominibus eius occiditur; et Theotberga, soror eius, abiecta Lotharii, ad fidem Karoli venit; cui Karolus Avennacum<sup>3</sup> monasterium donat<sup>4</sup>, et abbatiam Sancti Martini Ingelwino diacono palatii sui committit.

Rodbertus comes Andegavensis adgrediens duos cuneos de Nortmannis qui in Ligeri fluvio residebant, unum quidem, exceptis paucis evadentibus, interfecit, et altero maiore retro superveniente, vulneratur. Unde, paucis suorum amissis, sibi secessu consuluit et post paucos dies convaleuit.

#### Anno Domini 865.

Karolus rex nativitatem Domini in Carisiaco palatio celebrat. Vernum villam veniens, et circa medium Febroarium mensem fratrem suum Hludowicum in villa Tusiaco<sup>5</sup> cum filiis venientem satis honorifice suscepit, ibique cum<sup>b</sup> communibus illorum fidelibus consideratis, missaticum per episcopos, Altfridum<sup>6</sup> videlicet et Erchanraum<sup>7</sup>, Hlothario, nepoti suo, transmittunt, mandantes, ut, quia saepe dicebat se Romam iturum, prius secundum domni apostolici et eorum hortamentum emendaret quod contra leges divinas et humanas commiserat in aecclesia, quam sua temeritate scandalizaverat, et tunc, ordinato regno suo, si vellet, pro indulgentia petenda et optinenda ad apostolorum limina properaret. Hlotharius vero putans, quod sibi regnum subripere et inter

a) positum *edd.* b) omnibus cum i. P.; *vocabulum* (rebus?) *ante* consideratis *excidisse* *putarim.*

1) *Ignatius* anno 861. *exauctoratus* fuit in pseudo-synodo Constantinopolitana. *Photius* episcopus ordinatus 25. die Decembris a. 857, anno 858. in *Ignatii* locum iam intrusus fuerat. BOUQ. 2) Gallice 'rut'. 3) *Avenay* in dioecesi Remensi. 4) Cf. *Flodoardi Hist. Rem.* III, 27, SS. XIII, p. 549. 5) *Thousey* (dép. Meuse); cf. *pactum* inibi in *initum* LL. I, p. 500. 6) *Hildesheimensem.* 7) *Catalaunensem.*



se vellent dividere, Liutfridum, avunculum suum, ad fratrem et Italiae imperatorem transmittit, petens, illum apud apostolicum optinere, quatenus pro eo patruis suis epistolas mitteret, ut pacem servantes de regno suo nullum ei impedimentum facerent. Quod et Hludowicus imperator optinuit.

Interea Nortmanni residentes in Ligeri cum maximo impetu, faciente divino iudicio, secundo<sup>a</sup> vento per idem fluvium usque ad monasterium Sancti Benedicti quod Floriacus dicitur navigant et eundem monasterium incendunt, et in redeundo Aurelianis civitatem et monasteria ibidem et circumcirca consistentia igni cremant, praeter ecclesiam sanctae Crucis, quam flamma, cum inde<sup>b</sup> multum laboratum a Nortmannis fuerit, vorare non potuit. Sicque per annis alveum descendentes et vicinia quaeque depopulantes, ad stationem suam reversi sunt.

De Tusiaco Hludowicus Baioariam pergens, Karlomanno filio sibi familiariter reconciliato marcas quas ab eo tulerat reddidit et ad Franconoford palatium rediit.

Karolus autem per Attiniacum ad Silviacum<sup>1</sup> veniens, ibidem sacrum quadragesima et pascha Domini celebrat, et Apr. 22. Bernardum, ex quodam Bernardo<sup>2</sup> et filia Rorigonis comitis natum, in Gotiam mittens, partem ipsius markiae<sup>3</sup> illi committit. Et sic demum Vernum villam veniens, episcopos ac ceteros Aquitaniae primores ibidem obvios suscepit. Ad quorum multam petitionem filium suum Karolum necdum bene spassatum<sup>4</sup> in Aquitaniam cum regio nomine ac potestate redire permittit.

Nicolaus papa Arsenium Ortensem episcopum et consiliarium suum cum epistolis ad Hludowicum et Karolum<sup>5</sup> fratres, sed et ad episcopos ac primores regnorum illorum, ea quae Hlotharius per fratrem petierat continentes<sup>c</sup>, non cum apostolica mansuetudine et solita honorabilitate, sicut episcopi Romani reges consueverant in suis epistolis honorare, sed cum malitiosa interminatione, transmittit. Isdem autem Arsenius per Curiam et Alamanniam ad Hludowicum Germaniae regem in Franconoford palatium veniens, epistolas

a) se cum 1.    b) inibi *Chr. Norm.*    c) continentibus *edd.*

1) Vicus Servais, dimidia leuca a Fara oppido, quod ad Isaram situm est. BOUQ. (Dép. Aisne).    2) Qui anno 844. contra Lambertum Nammetensem comitem dimicans occisus est. Uxor eius Blichildis nomine filia erat Rorigonis Cenomannensis comitis. BOUQ.    3) Tunc Gothiae marchia, quae integra possessa fuerat ab Hunfrido, in duas divisa est. Karolus enim Septimaniam proprie dictam cum Narbonensi prima a marchia Hispanica separavit. BOUQ.    4) i. e. castigatum; cf. Italum 'spazzare', et Gallicum 'espousseter, epousseter'. P.    5) Jaffé nr. 2103.



apostolici ei tradidit. Et inde in Gundulfi-villam ad Hlotharium venit. Cui et episcopis<sup>1</sup> ac primoribus regni sui epistolas papae dedit, continentibus, quia, nisi uxorem suam Theodbergam reciperet et Waldradam abiceret, renunciante sibi Arsenio, illum ab omni christianorum societate debuisset reicere, quem in pluribus epistolis has praecedentibus excommunicatum et a consortio christianorum eiectionem multoties praedicaverat. Et sic de Hlothario ad Karolum circa medium Iulium mensem in Attiniacum palatium Arsenius veniens, uniformes<sup>2</sup> sicuti Hludowico et Hlothario regibus epistolas satis honorifice tradidit, et Rothadam, canonicè a quinque provinciarum episcopis deiectionem et a Nicolao papa non regulariter, sed potentialiter restitutum, secum reducens, Karolo praesentavit. Et cum sacri canones<sup>3</sup> dicant, ut, si episcopus a gradum deiectionis ab episcopis provinciae ad episcopum Romanum confugerit, scribat Romanus episcopus finitimae et propinquae provinciae episcopis, ut ipsi omnino diligenter causam inquirant et iuxta fidem veritatis diffiniant, et<sup>a</sup>, si is qui deiectionis est iterum ab eis moverit Romanum episcopum, aut mittat a latere suo qui auctoritatem eius a quo destinati sunt habentes cum episcopis iudicent, aut credat episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant: nihil horum idem apostolicus agere voluit, sed, posthabito episcoporum iudicio, qui iuxta sacras regulas post iudicium subgestorum specie omnia iudicata ad sedem apostolicam retulerunt, ipse sua potestate illum restituit. Restitutum ergo Karolo misit cum epistolis<sup>4</sup>, in quibus continebatur, ut sine ulla exceptione, si quis eidem Rothado quiddam aut de gradu aut de rebus episcopi contradiceret, anathema foret. Sicque sine interrogatione vel consensu episcoporum qui eum deposuerunt per missum Arsenium Rothadus est in sede sua remissus.

Post haec Arsenius ad Duciacum obviam Hlothario pergit, ducens Theodbergam, quae aliquamdiu honorabiliter in regno Karoli deguit; et accepto sacramento a duodecim hominibus ex parte Hlotharii, eandem Theodbergam, nulla ecclesiastica satisfactione pro adulterio publico ab eo secundum canones sacros patrata, illi in matrimonium reddidit. Sacramentum autem pro Theodberga praestitum ex parte

a) sequentia usque ad verba per omnia non valimus huic inserere paginae desunt 1, signo addito, quo ad scedulam, ut videtur, adiectam, nunc perditam, lector remittitur. Et etiam in 1<sup>a</sup> haec in singulari membrana scripta sunt.

1) Jaffé nr. 2104. Epistolam ad Lotharium datam ed. Floss, 'Papstwahl' p. 30. 2) i. e. nisi fallor, non eisdem verbis, sed eodem animo scriptas. 3) Conc. Sardic. c. 7, Mansi III, p. 33. 4) Jaffé nr. 2098.



Hlotharii ita se habet, veluti dictatum et Roma delatum ab ipso Arsenio: *Iurans promitto ego talis per haec quatuor sancta Christi euangelia, quae manibus meis tango, atque istas sanctorum reliquias, quia senior meus Hlotharius rex, filius quondam piae recordationis Hlotharii serenissimi imperatoris, amodo et deinceps accipiet Theodbergam uxorem suam pro legitima matrona, et eam sic habebit in omnibus, sicut decet regem habere reginam uxorem. Et propter iam fatas dissensiones neque in vita neque in membris, neque a praedicto seniore meo Hlothario neque a nullo hominum, ipso instigante aut auxiliante vel etiam consentiente, aliquod malum habebit; sed eam sic habebit, sicut regem decet habere uxorem legitimam; ea tamen ratione, ut sic se amodo custodiat, sicut decet uxorem suo seniori in omnibus observare honorem. Haec sunt nomina eorum qui hoc iuraverunt: De comitibus Milo, Ratharius, Herlandus, Theutmarus, Weremboldus, Rocolfus, comes. De militibus<sup>a</sup> Herleboldus, Vulfridus, Heidulfus, Bertmundus, Nithardus, Arnostus. Hoc iuratum est super quatuor Dei euangelia atque pretiosissimum lignum sanctae dominicae crucis et alias sanctorum reliquias in loco qui dicitur Vindonissa<sup>1</sup>, die tertia mensis Augusti, indictione 14. Hoc factum est temporibus domni ter beatissimi et coangelici Nicolai<sup>b</sup> apostolici, [mediante<sup>c</sup> et constituyente Arsenio venerabili episcopo, misso et apocrisiario summae sanctae catholicae atque apostolicae sedis, apostolicam habente auctoritatem et legato eiusdem domni Nicolai apostolici]. Nomina episcoporum in quorum praesentia et qui interfuerunt haec sunt: Harduinus archiepiscopus Besintionensis<sup>2</sup>, Remedius archiepiscopus Laudunensis<sup>3</sup>, Hado archiepiscopus Biennensis<sup>4</sup>, Rodlandus archiepiscopus Arelatensis, Adventius episcopus Mettensis, Atto episcopus Bardunensis<sup>5</sup>, Franco episcopus Sancti LANDBERTI<sup>6</sup>, Rathaldus episcopus Stratiburgensis, Fulkericus capellanus et missus imperialis. De regno autem Karoli Ysahac episcopus Linguinensis<sup>7</sup>, Herkanraus episcopus Catalaunensis; de quorum manibus ex parte Karoli regis suscepta est Theodberga regina ab Arsenio venerabili episcopo et legato apostolicae sedis, una cum praenominatis archiepiscopis et episcopis; adstantibus vero in eodem loco de diversis regnis nobilium virorum multitudinem populi publice haec viden-*

a) vassallis Bouq. b) Nicholai 1<sup>a</sup>. c) haec des. 1<sup>a</sup>; habet Bouq. ex 1, 'ex fragmento membranaceo codici Bertiniano adhaerente', nunc perditio.

1) Vendresse (dép. Ardennes). 2) Vesontionensis. 3) Lugdunensis.  
4) Viennensis. 5) Viridunensis. 6) Leodiensis. 7) Lingonensis.



*tibus et audientibus, quorum nomina per omnia non valui-  
mus huic inserere paginae.*

Eodem die ipsam Theodbergam reginam Arsenius episcopus et legatus apostolicae sedis cum praenominatis omnibus archiepiscopis et episcopis in manibus Hlotharii regis reddiderunt atque dederunt, non solum sub eadem obtestatione ut supra, sed verum etiam sub adiuratione et excommunicatione, ut, si in omnibus ut superius legitur non observaverit atque impleverit, non solum in praesenti vita, sed etiam in aeterno Dei terribili iudicio cum beato Petro principe apostolorum erit redditurus rationem, et ab ipso aeternaliter esse in eodem iudicio dampnandum et igne perpetuo cremandum.

Interea Hlotharius missos suos ad Karolum dirigit, volens et petens, ut mutua firmitate inter eos amicitia foederarentur. Quod et Irmentrude regina interveniente optinuit; et veniens in Attiniacum, amicabiliter et honorifice a Karolo est susceptus et in foedere postulato receptus. Quo et Arsenius rediens, epistolam Nicolai papae plenam terribilibus et a modestia sedis apostolicae antea inauditis maledictionibus detulit super eos qui ante hos annos eidem Arsenio multam thesauri summam praedantes abstulerant, nisi satisfaciendo quae tulerant ei reddere procurarent. Et relecta eadem epistola, sed et altera de Ingiltrudis excommunicatione, quae virum suum Bosonem reliquerat et cum quodam adultero in Hlotharii regnum aufugerat, ac recepta sub defensione Karoli villa quae Vendopera<sup>1</sup> dicitur, quam pia memoriae Hludovicus imperator sancto Petro tradiderat et Wido quidam comes per plures annos tenuerat, Arsenius episcopus, impetratis apud Karolum pro quibus ad eum venerat, ad Gundulfi-villam cum Hlothario, quo Theodberga eum praecesserat, pergit. Ibi quoque per aliquod dies morans propter Waldradam, quae illuc ad eum adduci<sup>a</sup> et ab eo in Italiam deduci debebat, Hlothario et Theodberga regio cultu paratis

Aug. 15. et coronatis, in die assumptionis sanctae Mariae missas celebrat, et inde cum praefata Waldrada versus Urbam, quo dicebatur Hludovicus Italiae imperator obviam Hlothario venturus, pergit. Inde per Alamanniam et Baioariam pro recipiendis patrimoniis ecclesiae sancti Petri in eisdem regionibus coniacentibus Romam redit.

Karolus ab Attiniaco contra Nortmannos, qui cum navibus quinquaginta in Sequanam venerant, hostiliter pergit.

a) deduci 1.

1) Vendœuvre (dép. Aube).



In quo itinere custodum negligentia tres coronas optimas et armillas nobilissimas et quaeque alia pretiosa perdens; et post non paucos dies omnia reinvenit, exceptis paucis gemmis, quae tumultuaria direptione amissae fuerunt. Nortmanni vero residentes in Ligeri libere Pictavum civitatem pedestri ordine pergunt eandemque civitatem incendunt et inpune ad naves suas reveniunt. Rodbertus autem de eisdem Nortmannis qui sedebant in Ligeri amplius quam quingentos sine dampno suorum occidens, vexilla et arma Nortmannica Karolo mittit. Karolus autem perveniens usque ad locum qui dicitur Pistis, ubi immorabantur Nortmanni, fidelium suorum consilio pontes super Isaram et Matronam<sup>a</sup> in locis quae dicuntur Alvern<sup>1</sup> et Carentom<sup>2</sup>, quoniam ab incolis qui ex antiquo ipsos pontes fecerant propter infestationem Nortmannorum refici non valebant: ab eis ergo, qui ex longinquiribus partibus ad operandum deputati erant ut perficerent firmitates in Sequana, ea conditione refici iubet propter imminens necessitatem ipsos pontes, ne<sup>b</sup> unquam per ventura tempora inde qui nunc eosdem pontes refecerint in operando ad hoc opus dispendium patiantur; et deputatis custodibus qui utrasque ripas custodirent, ad Odriacam villam<sup>3</sup> medio mense Septembrio venandi gratia pergit. Ipsi autem Nortmanni, quoniam adhuc citra Sequanam custodes non venerant, ex se circiter ducentos Parisius mittunt; ubi quod quaesierant vinum non inveniunt, ad suos qui eos miserant sine indemnitatem sui reveniunt. Indeque amplius quam quingenti ultra Sequanam usque ad Carnotum praedatum ire disponentes, a custodibus ripae ipsius fluminis impetuntur, et quibusdam suorum amissis, quibusdam etiam vulneratis, ad naves regrediuntur.

Karolus Hludowicum, filium suum, in Neustriam dirigit, nec reddito nec interdicto sibi nomine regio, sed tantum comitatum Andegavensem et abbatiam Maioris-monasterii<sup>4</sup> et quasdam villas illi donavit. Rodberto autem, qui marchio in Andegavo fuerat, cum aliis honoribus quos habebat comitatum Autisiodorensem et comitatum Nivernensem donavit.

Hludowicus Germanorum<sup>c</sup> rex hostem suam contra Winedos directam et prospere agentem recepit. Cuius filius et aequivocus contra patris voluntatem filiam Adalardi despondit, unde satis animum patris offendit. Karolus obviam fratri suo Hludowico, eius conloquio fruiturus, Coloniam pergit, et

a) refici curat *add. edd.*    b) nec 1.    c) Germaniorum 1.

1) *Auvers-sur-Oise.*    2) *Charenton-le-Pont (dép. Seine).*    3) *Orville ad dexteram Alveiae ripam (dép. Aisne).*    4) *Marmoutier.*



inter<sup>a</sup> alia conlocutionum suarum verba patrem et filium de iam dicta praesumptione pacificat, ea conditione, ut iam ultra Adalardi filiae non copuletur. Hludowicus ad WORMATIAM et Karolus ad Carisiacus<sup>b</sup> revertitur. Cui nunciatur in via, quia Nortmanni tertia decima Kalend. Novembris monasterium Sancti Dyonisii intraverunt<sup>1</sup>; ubi viginti circiter diebus immorantes et cotidie praedam exinde ad suas naves ducentes, post multam depraedationem sine contradictione cuiusquam ad castra sua non longe ab eodem monasterio sunt reversi.

Interea Nortmanni residentes in Ligeri commixti cum Brittonibus Cinomannis civitatem petunt, et inpune depraedantes eam, ad suas naves revertuntur. Aquitani confligentes cum Nortmannis qui in Carento<sup>2</sup> Sigefrido duce resident, quadringentos circiter ex eis occiderunt; ceteri autem fugientes, ad suas naves redierunt.

Karolus missos suos, quos praecedenti anno Cordubam ad Mohomet direxerat, cum multis donis, camelis videlicet, lecta<sup>3</sup> et papiliones gestantes, et cum diversi generis pannis et multis odoramentis in Compendio recipit. Inde ad Rofiacum<sup>4</sup> villam veniens, Adalardo, cui custodiam contra Nortmannos commiserat, sed et suis propinquis Hugoni et Berengario, quia nihil utilitatis contra Nortmannos egerant, conlatos honores tollit et per diversos eosdem honores disponit. Nortmanni, qui praefatum monasterium depraedati sunt, vario modo infirmantur, et quidam in rabiem versi, quidam autem scabie correpti, quidam intestina cum aqualiculo<sup>5</sup> per anum<sup>c</sup> emittentes, moriuntur. Karolus, dimissis custodibus contra eosdem Nortmannos, Silvanectis revertitur, nativitatis dominicae sollemnia celebraturus. Ubi ei Hlotharius, filius suus et abbas monasterii Sancti Germani, mortuus nunciatur.

Anno incarnationis dominicae 866.<sup>d</sup>

4. Kalendas Ianuarias de Nortmannis in Ligeri residentibus quaedam pars praedatum exiens in Neustriam, Gauzfridum et Heriveum atque Rorigum comites congregientes offendit. In qua congressione Rorigus, frater Gauzfridi, occubuit, et quam plurimis Nortmanni suorum amissis, fugiendo ad naves reveniunt. Rodulfus, Karoli regis avunculus, passione collexica moritur. Nortmanni per alveum

a) in talia 1.    b) Carisiacus 1.    c) annum 1.    d) octingentesimo sexagesimo sexto *superscr.* 1.

1) Cf. *Ann. S. Germani*, SS. IV, p. 3.    2) *La Charente*.    3) *Lectum videtur esse idem ac lectus, stragulum*.    4) *Rouy (dép. Aisne)*. DEH.  
5) *i. e. ventriculo*.



Sequanæ ascendentes usque ad castrum Milidunum et scaræ Karoli ex utraque parte ipsius fluminis pergunt, et egressis eisdem Nortmannis a navibus super scaram quæ maior et fortior videbatur, cuius præfecti erant Rotbertus et Odo, sine conflictu eam in fugam mittunt et onustis præda navibus ad suos redeunt. Karolus cum eisdem Nortmannis in quattuor milium libris argenti ad pensam eorum paciscitur, et indicta per regnum suum conlatione ad idem exsolvendum tributum, de unoquoque manso ingenuili exiguntur sex denarii et de servili tres et de accola unus et de duobus hospitiis<sup>a</sup> unus denarius et decima de omnibus quæ negotiatores videbantur habere; sed et a presbiteris secundum quod unusquisque habuit vectigal exigitur, et heribanni de omnibus Francis accipiuntur. Inde de unoquoque manso, tam ingenuili quam et servili, unus denarius sumitur, et demum per duas vices, iuxta quod unusquisque regni primorum<sup>b</sup> de honoribus habuit, coniectum tam in argento quam et in vino ad pensum quod ipsis Nortmannis pactum fuerat persolvendum contulit. Præterea quoque et mancipia a Nortmannis prædata, quæ post pactum ab eis fugerant, aut reddita aut secundum eorum placitum redempta fuerunt; et si aliquis de Nortmannis occisus fuit, quaesitum pretium pro eo est exsolutum.

Hludowicus Italiae imperator una cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Sarracenos movit. Hlotharius, interventu, ut quidam autumant, Hludowici imperatoris et fratris sui, episcopium Coloniense ab Hugone recepto, Hilduino, fratri<sup>c</sup> Guntarii, sub provisionis obtentu committit; sed revera dispositio illius, excepto episcopali ministerio, penes Guntarium manet, ipsaque metropolis, sed et ecclesia Treverensis, diutino tempore contra sacras regulas cum magno et multorum periculo pastore vacant. Karolus Rotberto comiti abbatiam Sancti Martini ab Engilwino ablatam donat et eius consilio honores qui ultra Sequanam erant per illius complices dividit, comitatum quoque Augustidunensem, a Bernardo, filio Bernardi, super Rodbertum occupatum, Hludowico, filio suo, ipsius Rotberti consilio ad eum ditandum<sup>d</sup> committit.

Nortmanni mense Iunio ab insula secus monasterium Sancti Dyonisii movent, et descendentes per Sequanam, usque ad locum sibi aptum ad reficiendas suas et novas faciendas naves perveniunt, ibique quod eis persolvendum erat exspectant. Karolus hostiliter ad locum qui dicitur

a) hospitibus *Chr. Norm.*    b) *e corr.* 1.    c) fratre 1.    d) dicandum 1.



Pisti<sup>a</sup> cum operariis et carris ad perficienda opera, ne iterum Nortmanni sursum<sup>b</sup> ascendere valeant, pergunt.

Hludowicus Germaniae rex contra quosdam suorum in marca adversus Winidos rebellionem molientes hostem movit. Quam praecedens, in brevi rebellantes sine conflictu domat et hostem nondum pene promotum domi residere mandavit.

Nortmanni mense Iulio mare intrant, et pars quaedam ex ipsis aliquandiu in pago Italiae<sup>1</sup> redit<sup>c</sup> et libitibus suis, excepta publica Hlotharii coniunctione, perfruitur.

Karolus ad villam abbatae Sancti Quintini quae Ortivineas dicitur<sup>2</sup> cum uxore obviam Hlothario pergunt, et pro quibusdam convenientiis, ut dicebatur, firmitatibus inter se factis, abbatiam Sancti Vedasti, donante sibi Hlothario<sup>3</sup>, suscipit.

Karolus mense Augusto Suessionis civitatem adit et synodo a Nicolao papa convocatae<sup>4</sup> considet. Ubi secundum praedicti apostolici<sup>d</sup> commendationem quaestione dirempta de Vulfado et collegis eius ab Ebone quondam Remorum archiepiscopo post depositionem suam ordinatis, quoniam regulae sacrae non poterant aperte convelli, pro sui reverentia et quorundam respectu, et rege ac quibusdam pro Vulfado nimium satagentibus, scisma et scandalum aliter vitari non potuit: inventum est, ut, quia synodi episcoporum quinque provinciarum regularis diffinitio de<sup>e</sup> praefatorum deiectioe Benedicti papae et Nicolai subscriptionibus fuerat confirmata, secundum indulgentiam Nicaenae synodi de his quos dampnatus ordinavit Meletius et iuxta traditionem Africani concilii de Donatistis, in gradibus reciperentur, si tamen Nicolao papae placeret suam immutare, quam confirmavit, sententiam. Indeque synodus congregata per Egilonem Senensem archiepiscopum cum aliis pro quibus perrexerat praescripta conditione Nicolao papae litteras mittens<sup>5</sup>, sine sacerdotum discordia est soluta. Et licet iuxta Innocentii decreta<sup>6</sup> quod de huiusmodi necessitas temporis quondam repperit, cessante necessitate debuisset utique cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio quam ad praesens fieri tempus impellit; quoniam nihil aliud,

a) Pistis *corr.* Pisti 1.    b) susum 1.    c) resedit *edd.*; ad Italiam rediit *Chr. Norm.*  
d) apostoli 1.    e) ex 1; *emend. P.*

1) *De pago Isaliae, Islegau, cogitarunt Pertz, Dümmler I, p. 584. et Dehaisnes.*    2) *Fortasse La Vignole prope Flavy-le-Martel (dép. Aisne). DEH. Sed dubitat Monod p. 252.*    3) *Cf. supra a. 843, p. 30.*    4) *Cf. epistolas Jaffé nr. 2114—2116.*    5) *Mansi XV, p. 727.*  
6) *Innocentii epistola ad Rufum et Eusebium; Mansi III, p. 1061.*



sed hoc summopere quaerebatur, ut quocumque modo Vulfadus<sup>a</sup> fieri posset episcopus, tolerabilius quibusdam est visum, propter vitandam seditionem hanc necessitatem, quae nunc sicut et tunc urgebat, iterum in medium devocare<sup>b</sup>, et, acsi consilio Iacobi et seniorum Hierusalem etiam post legis abolitionem circumciso Timotheo, cum Paulo legis ceremonias exercere quam tumultus in ecclesia et in potestate regia concitare. His ita dispositis, Karolus iam dicto Vulfado Bituricensem metropolim, nuper defuncto Rhodulfo archiepiscopo, ante causae diffinitionem arbitrato suo committit. Sed antequam idem episcopi ab ipsa recederent urbe, Karolus eos petit, ut uxorem suam Hyrminrudem in reginam sacrent; quod et ipso adtestante in basilica sancti Medardi fecerunt et una cum eo illi coronam imposuerunt<sup>1</sup>. De quo loco idem rex cum regina Attiniacum palatium obviam Hlothario adit. Quo Teutbergam, nomine tantum reginam Lotharii, quae Romam pergendi licentiam habuit, revocant; et missaticum communiter ordinantes, Karolus per Egilonem Sennensem archiepiscopum et Hlotharius per Adonem Viennensem archiepiscopum ac per Waltarium suum a secretis domesticum papae Nicolao quae sibi visa sunt secretius mandant. Post haec Karolus ad consignandam Bituricensem metropolim Vulfado filium suum Karlomannum abbatem monasterii<sup>c</sup> Sancti Medardi transmittit. Quo pervenientes post solutam, ut praemissum est, synodum, atque post litteras ex eadem synodo per Egilonem archiepiscopum Nicolao papae directas, statim in mense Septembrio a quibusdam episcopis legibus ecclesiasticis minus necessario peritis, factione praedicti Vulfadi emendicatis<sup>d</sup> et minis a Karlomanno ex auctoritate patris sui flexis, contra omnes leges ecclesiasticas sepe fatus Vulfadus pro ordinatione episcopali maledictione indutus est sicut vestimento. Cuius exordinator potius quam ordinator Aldo Lemovicensis episcopus in ipsa ordinatione febre correptus, in brevi moritur.

Karoli filius nomine Karolus et Aquitanorum rex, ex plaga quam in capite ante aliquot annos<sup>2</sup> acceperat cerebro commoto, diutius epelementica passione vexatus, 3. Kalendas Octobris in quadam villa secus Bosentiacas<sup>3</sup> moritur, et a Karlomanno, fratre suo, atque a Vulfado in aeclesia sancti Sulpitii apud Biturigum sepelitur.

a) Vulfadum 1, ubi fieri posset in rasura. b) devocaret ac si 1. c) monasterium 1. d) icatis in ras. 1.

1) Coronationis formulam v. LL. I, p. 506. 2) Supra a. 864, p. 67.  
3) Buzançais (départ. Indre).



Karolus Willelmum, sobrinum suum<sup>1</sup>, Odonis quondam comitis Aurelianensis filium, a quibusdam suorum in Burgundia captum, quasi contra rem publicam agentem secus Silvanectum civitatem decollari fecit.

Nortmanni commixti Brittonibus, circiter quadringenti de Ligeri cum caballis egressi, Cinomannis civitatem adeunt. Qua depraedata, in regressu suo usque ad locum qui dicitur Brieserta<sup>2</sup> veniunt; ubi Rotbertum et Ramnulfum, Gozfridum<sup>a</sup> quoque et Heriveum comites cum valida manu armatorum, si Deus cum eis esset, offendunt. Et conserto praelio, Rotbertus occiditur, Ramnulfus plagatus, cuius vulnere postea mortuus est, fugatur; et Heriveo vulnerato, et aliis quibusdam occisis, caeteri ad sua quique discedunt<sup>3</sup>. Et quoniam Ramnulfus et Rotbertus de praecedentium se vindicta, qui contra suum ordinem alter abbatiam Sancti Hilarii, alter abbatiam Sancti Martini praesumpserat, castigari noluerunt, in se ultionem experiri meruerunt.

Hludowicus, Hludowici Germaniae regis filius, consilio Warnarii ac ceterorum, a quibus pater eius propter infidelitatem suam honores tulit, rixam contra patrem suum movit, concitato Restitio Winido, ut usque ad Baiowariam praedatum veniat, quatenus, in illis partibus occupato patre vel eius fidelibus, ipse liberius quod coepit proseguere posset. Sed Karlomanno, cui pater ipsam marcham dederat, satagente, Restitius intra sua se cohibet. Hludowicus autem senior in talibus experientia prudens, concite ad palatium quod Franconofurdh<sup>b</sup> dicitur properat et, datis mutuo dextris, eundem filium suum ad se venire facit, ipsaeque dexterarum usque 5. Kalendas Novembris manere invicem promittuntur. Sicque Hludowicus ad confirmandam marcham suam contra Restitium velociter repedit, reversurus octavo die ante missam sancti Martini obviam fratri suo Karolo et nepoti suo Hlothario secus civitatem Mettensium. Quo Karolus hostiliter, cum tali hoste, confecta maxime de episcopis, sicut tunc coniectare potuit, se perrecturum suis denunciatis, Hugoni clerico, avunculi sui Chonradi filio, comitatum Turonicum et comitatum Andegavensem cum abbatia Sancti Martini et cum aliis etiam abbatibus donat eumque in Neustriam loco Rotberti dirigit; de abbatia Sancti Vedasti, sicut et pridem de abbatia Sancti Quintini fecerat, caput cum electioribus villis sibi retinens, cetera quaeque per quoscumque suos non cum tanto illorum

a) Gotfridum *corr.* Gozfridum 1; Godefridum *Chr. Norm.* b) Franconofurdh 1.

1) *Uxoris fratrem; v. Dümmler I, p. 592, n.* 2) *Brissarthe (départ. Maine-et-Loire).* 3) *Cf. Regin. h. a.*



profectu quam cum animae suae detrimento dividit; sicque hostile iter quod denuntiaverat conficiens, per Remorum civitatem Mettensium partes una cum sua uxore adgreditur et usque ad Viridunum pervenit. Ibi obvios fratris sui Hludowici missos habuit, nunciantes, quia non erat ei necesse ad [fratrem<sup>a</sup>] suum pro quacumque necessitate cum hoste ire, quoniam suum filium, sicut ipse disposuit, receptum habebat et seditionem quae contra eum commota fuit usquequaque sedatam; et illi tunc non erat commodum obviam illi usque ad Mettis venire, quoniam pro quibusdam regni sui necessitatibus in Baiowariam festinabat. Karolus autem residens in Viriduno per viginti circiter dies, eandem civitatem atque illius vicinia hostili more depraedans, praestolatus est adventum Hlotharii, qui apud Treverim cum sui regni episcopis satagebat, ut iterum Theodberga se falso crimine insimularet et velamentum reciperet; quod optinere non potuit. Tandem Karolus per viam qua perrexerat, depredantibus suis loca per quae redierunt, iterum Remanam<sup>1</sup> civitatem adit, indeque Compendium venit; ubi nativitatem Domini celebravit.

Rex Bulgarorum<sup>2</sup>, qui praecedente anno, Deo inspirante et signis atque afflictionibus in populo regni sui monente, christianus fieri meditatus fuerat, sacrum baptismum suscepit. Quod proceres sui moleste ferentes, concitaverunt populum adversus eum, ut illum interficerent. Quotquot igitur fuerunt intra decem comitatus, adunaverunt se circa palatium eius. Ille vero, invocato Christi nomine, cum quadraginta tantum octo hominibus, qui erga christianam devotionem ferventes sibi remanserant, profectus est contra omnem illam multitudinem; et mox ut portas civitatis exiit, apparuerunt ei et his qui cum eo erant septem clerici, et unusquisque eorum tenebat cereum ardentem in manu sua, sicque praecedebant regem et illos qui cum eo erant. Eis vero qui contra eum insurrexerant visum erat, quod magna villa ardens super eos caderet, et equi eorum qui cum rege erant, sicut contrariis videbatur, erecti incedebant et cum anterioribus pedibus eos percutiebant; tantusque timor eos apprehendit, ut nec ad fugiendum nec ad defendendum se praepararent, sed prostrati solo se movere nequibant. Rex autem ex proceribus, qui populum maxime adversus eum incitaverunt, interfecit numero quinquaginta duos, reliquum autem populum inlaesum abire permisit; et mittens ad Hludowicum regem

a) *deest* 1.

1) *i. e. Remensem.* 2) *Bogoris, anno, ut videtur, 864. baptizatus et Michael vocitatus.*



Germaniae, qui ei foedere pacis coniunctus erat, episcopum et presbiteros postulavit, et ab eo missos cum debita veneratione suscepit. Hludowicus autem ad Karolum, fratrem suum, mittens, in ministerium clericorum apud fratrem suum vasa sacrata sacrasque vestes ac libros petiit. Unde Karolus ab episcopis regni sui non parvam summam accipiens, ei ad dirigendum regi<sup>a</sup>. Bulgarorum rex filium suum<sup>1</sup> et plures ex proceribus regni sui Romam direxit et arma, quibus indutus fuerat, quando in Christi nomine de suis adversariis triumphavit, cum aliis donis sancto Petro transmisit et plures quaestiones de sacramentis fidei consulendo Nicolao papae direxit et episcopos atque presbiteros mitti ab eo sibi poposcit; quod et obtinuit<sup>2</sup>. Hludowicus vero Italiae imperator hoc audiens, ad Nicolaum papam misit, iubens, ut arma et alia quae rex Bulgarorum sancto Petro miserat ei dirigeret. De quibus quaedam Nicolaus papa per Arsenium ei consistenti in partibus Beneventanis transmisit et de quibusdam excusationem mandavit.

## Anno Domini 867.

Hludowicus abbas monasterii [Sancti<sup>b</sup> Dyonisii], et nepos Karoli imperatoris ex filia maiori<sup>c</sup> natu Rohtrude, 5. Idus Ianuarii obiit, et Karolus rex abbatiam ipsius monasterii sibi retinuit, causas monasterii et conlaborationem per praepositum et decanum atque thesaurarium, militiae quoque curam per maiorem domus sua commendatione geri disponens. Et circa mediam quadragesimam super Ligerim fluvium ad villam quae Bellus-Pauliacus dicitur<sup>3</sup> perrexit; ubi primores Aquitaniorum sibi obviam accersivit et filium suum Hludowicum<sup>4</sup>, ordinatis illi ministerialibus de palatio suo, eisdem Aquitanis regem praefecit. Inde reversus, pascha Domini in monasterio Sancti Dyonisii celebravit. Deinde pergens Mettis ad conloquium fratris sui Hludowici regis Germaniae<sup>5</sup>, 13. Kalendas Iunii obvium habuit in palatio Salmuntiaci<sup>6</sup> Egilonem Sennensem archiepiscopum cum epi-

a) nulla distinctio 1; regi corruptum esse vel quaedam excidisse videntur. b) s. D. des. 1; suppl. edd. c) maioris 1.

1) Hoc in dubium vocat Dümmler I, p. 630, n. 2) Nicolai responsa v. Jaffé nr. 2123. 3) Pouilly-sur-Loire; Monod p. 252. 4) Ludovicum Caroli filium, qui postea Balbus cognominatus est, a. 866. Caroli fratri in Aquitaniae regno successisse, probat charta Bellilocensis, in qua Godofredus comes quasdam res proprietatis suae confert monasterio Bellilocensi, mense Octobri anno 27. Caroli regis et anno 1. Ludovici, filii eius, Aquitaniae regionis regis. BOUQ. 5) Dümmler I, p. 601. huc refert pactum inter reges initum, a. 868. inscriptum, LL. I, p. 508; id quod Pertz, ut videtur, recte in dubium vocavit. 6) Samoussy (dép. Aisne).



stolis Nicolai papae de restitutione clericorum Remensis aeclesiae, Vulfadi scilicet et collegarum eius<sup>1</sup>. Pro quibus valde satagens, ut in suis habeantur gradibus restituti, multa Hincmaro Remorum archiepiscopo imposuit in eisdem epistolis, quae non esse vera manifesta ratione constabant. Attulit etiam praefatus archiepiscopus eidem domno Karolo epistolas praedicti papae ad Hlotharium<sup>2</sup> et episcopos regni eius de causa uxorum illius, Theotbergae videlicet atque Waldradae, eandem Waldradam mitti Romam praecipiens. Quas Karolus Hlothario obviam sibi ad Attiniacum palatium venienti ex parte ipsius apostolici dedit. Indeque ad colloquium fratris sui perrexit, et ab eo revertens, per Hlotharium in saltu Arduennae consistentem rediit. Et generaliter per omne regnum suum hoste denunciata, placitum suum<sup>a</sup> Kalendis Augusti in Carnutu civitate condixit, in Britanniam super Salomonem ducem Brittonum perrecturus. Interea missis intercurrentibus, eo usque paciscendae pacis est perducta conditio, ut, a Karolo datis obsidibus, Paswithen, gener Salomonis, cuius consilio plurimum utitur, ad Karolum in Compendium circa praefatas Kalendas Augusti veniat, et quod tunc ibi inventum et confirmatum utrimque fuerit teneatur, populus autem in hostem denunciatus interim paratus domi resideat, usque quo, si necesse fuerit et rex demandaverit, 8. Kalendas Septembris Carnutum hostiliter veniat.

Hludowicus rex Germaniae Hludowicum, filium suum, cum Saxonibus et Toringis contra<sup>b</sup> Abodritos hostiliter dirigit et reliquum populum regni sui paratum esse praecipit, quatenus, mox ut ipse iusserit, praeparati movere hostiliter possint.

Hlotharius suspectum habens Karolum ad<sup>c</sup> Hludowicum revertentem, a Mettis civitate versus Franconofurth perguit et cum eo pridem sibi satis adverso se pacificat, filioque suo de Waldrada Hugoni ducatum Elisatium donat eumque Hludowico commendat ac ceterum regnum suum, quasi Romam perrecturus et Waldradam praemissurus, committit. Inde revertens, hostem ad patriae defensionem per regnum suum indicit quasi contra Nortmannos, putans Rorigum, quem incolae, qui Cokingi<sup>d</sup> novo nomine dicuntur<sup>3</sup>, a Fresia<sup>e</sup> expulerant, cum auxiliatoribus Danis reverti.

Karolus, datis obsidibus, Paswithen, Salomonis legatum, Kalendis Augusti in Compendio suscipit et ei, vicario scilicet

a) tuum *corr.* suum 1.      b) et 1 (*fortasse pro c̄t*); adversus *edd.*      c) ita 1; i. e.: a Hludowico, ut *edd. correxerunt*; cf. a. 868, p. 90.      d) Conkingi *edd.*  
e) Frasia 1.

1) *Jaffé nr. 2135.*      2) *Ibid. nr. 2175. 2173.*      3) *Quid hoc nomen significet, nescio.*



Salomonis, comitatum Constantini<sup>a</sup> cum omnibus fiscis et villis regiis et abbatibus in eodem comitatu consistentibus ac rebus ubicumque ad se pertinentibus, excepto episcopatu, donat et sacramento primorum suorum confirmat, et ex parte Salomonis a praefato ipsius vicario fidelitatis et pacis atque praestandi adiutorium contra inimicos suos sacramentum ea conditione suscipit, ut Salomon et filius eius cum his quae antea habebat hoc donum etiam habeant et Karolo ac filio eius fideles existant. Quo patrato negotio, Karolus synodum apud Treca 8. Kalendas Novembris auctoritate Nicolai papae indicit, et causa venandi ac expendendi<sup>a</sup> autumnale tempus in abbacia Sancti Vedasti et in Audriaca villa ac circumcirca morandi disponit.

Synodus<sup>2</sup> provinciarum Remensis, Rotomagensis, Turo-nensis, Senonum<sup>b</sup>, Burdegalensium atque Bituricensium apud Treca 8. Kalendas Novembris convenit. Ubi quidam episcopi, ut assolet, gratia regis Karoli Wulfado<sup>c</sup> faventes, quaedam contra veritatem et canonum sacram auctoritatem adversus Hincmarum moliri coeperunt. Sed isdem Hincmarus eorum molitionibus ratione et auctoritate obvians, plurimorum sententia praevalente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu epistola<sup>d</sup> scriptum, per Actardum venerabilem Namnetensem episcopum papae Nicolao episcopi qui convenerant<sup>e</sup> transmiserunt. Cuius epistolae tenor idem extitit qui fuit in epistola Hincmari Remorum episcopi, quam per clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias praecedente Iulio mense Romam miserat. Epistolam autem in praescripta synodo factam et archiepiscoporum qui convenerant sigillis signatam<sup>3</sup> Actardus perferendam suscipiens, cum quibusdam episcopis ad Karolum, sicut ipse praeceperat, rediit. Karolus autem, immemor fidelitatis atque laborum, quos pro eius honore et regni obtentu saepe fatus Hincmarus per plures annos subierat, eandem epistolam ab Actardo sibi dari exegit, et archiepiscoporum sigilla<sup>g</sup> confringens, gesta synodi relegit; et quia, sicut voluerat, in eadem synodo Hincmarus non extitit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam et bulla<sup>h</sup> sui nominis sigillavit et cum epistola synodali

a) expedendi 1.    b) Senonum *Fl.*    c) Vulf. *Fl.*    d) epistola *corr.* epistolam 1, ubi scriptam.    e) converant 1.    f) ab Actardo sibi *Fl.*    g) sigilla *in ras.* 1.    h) bubla 1.

1) *Coutances.*    2) *Quae sequuntur ad verbum a Flodoardo in Hist. Remensi lib. III, c. 17 (SS. XIII, p. 507) exscripta sunt.*    3) *Mansi XV, p. 795.*



per ipsum Actardum Romam direxit<sup>1</sup>. Praefati autem Hincmari clerici in mense Augusto Romam venientes, Nicolaum papam iam valde infirmatum et in contentione, quam contra Grecorum imperatores<sup>a</sup> Michaelem et Basilium, sed et contra orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati. Nicolaus vero papa gratanter suscipiens quae Hincmarus scripserat ei<sup>b</sup>, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit<sup>2</sup>. Sed et alteram epistolam<sup>3</sup> eidem et ceteris<sup>c</sup> archiepiscopis et episcopis in regno Karoli constitutis transmisit, innotescens, praefatos Grecorum imperatores, sed et orientales episcopos calumniari sanctam Romanam ecclesiam, immo omnem ecclesiam quae Latina utitur lingua, quia ieiunamus in sabbatis, quod Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus, quia presbiteros sortiri<sup>d</sup> coniuges prohibemus [et<sup>e</sup> quoniam eosdem presbiteros chrismate linire baptizatorum frontes inhihemus]; dicentes ipsi Greci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus; reprehendentes nos Latinos, quod 8 ebdomadibus ante pascha a carniuum et 7 ebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus; dicentes etiam, quod in pascha more Iudaeorum super altare pariter cum dominico<sup>f</sup> corpore agnum benedicamus et offeramus; succensentes etiam nos<sup>f</sup>, quia clerici apud nos barbas suas radunt; et dicentes, quia diaconus non suscepto presbiteratus officio apud nos episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiscopis sibi rescribi praecepit, alloquens eundem Hincmarum in epistolae fine hoc modo: *Tua, inquit, frater<sup>g</sup> Hincmare, caritas cum hanc epistolam legerit, mox ut etiam ad<sup>h</sup> alios archiepiscopos, qui in regno filii nostri Karoli gloriosi regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat, et ut de his singuli in diocesibus propriis una cum suffraganeis suis, in cuiuscumque regno sint constituti, convenienter tractare et nobis quae reppererint suggerere curent, eos incitare non neglegat<sup>i</sup>; ita ut eorum omnium quae praesentis epistolae nostrae circumstantia<sup>k</sup> continet tu et strenuus exsecutor illic existas et apud nos verax et prudens scriptorum tuorum serie relator inveniaris. Data<sup>l</sup> 10. Kalendas Novembris, indictione<sup>m</sup> prima.* Quam epistolam Hincmarus

a) i. G. Fl. b) ei sc. Fl. c) in ras. 1. d) sortiri 1. e) et — inhihemus des. 1; ex Flod. suppl. P. f) e corr. 1. g) deest Fl. h) al. del. 1, ubi ad deest. i) neglegant corr. neglegat 1. k) circumstantiae corr. circumstantia 1. l) Data — indictione des. Fl. m) indigitione 1.

1) Mansi l. l. p. 796. 2) Epistola perdata est; cf. Jaffé nr. 2181. 3) Jaffé nr. 2179.



Idus<sup>a</sup> Decembrias primae indictionis<sup>b</sup> suscipiens, in Corbonaco<sup>1</sup> palatio consistenti regi Karolo cum pluribus episcopis relegit et per alios archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit.

Nicolaus papa Idus proxime praecedentis mensis Decembris<sup>2</sup> obiit. Cui successit Adrianus papa electione clericorum et consensu Hludowici imperatoris in pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum supra scriptis epistolis in apostolica sede iam ordinatum invenit. Arsenius autem, magnae calliditatis et nimiae cupiditatis homo, spe falsa seducens Teutgaudum et Guntarium de restitutione ipsorum, ut ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit. Qui diutius ibi manentes, pene omnes suos amiserunt; tandem autem Teutgaudus ibidem mortuus est, et Guntarius vix corporis mortem evasit.

Hlotharius Theutbergam uxorem suam Romam misit, ut se ipsam criminaretur, quatenus ab eius coniugio separari valeret. Sed Adrianus papa atque Romani talibus neniis non credentes, iussa est ad virum suum reverti. Karolus consensu fratris sui Hludowici quosdam episcopos ad Autisiodorum in futuris Kalendis Februarii convenire praecepit, ut de causa Hlotharii quaedam tractarent.

Karolus denique, quoniam ab Acfrido, abbatiam Sancti Hilarii cum aliis plurimis honorabilibus beneficiis habente, sicut quidam dixerunt, exenia non modica suscipiens, comitatum Bituricum sine praesentia illius vel culpae alicuius reputatione a Gerardo comite abstulit et praefato Acfrido dedit. Sed isdem Acfridus super Gerardum eundem comitatum evindicare non valuit. Quapropter Karolus per civitatem Remorum transiens, Trekas venit indeque Autisiodorum adiit. Ubi nativitatem Domini celebravit

anno 868.

Karolus ad<sup>c</sup> Autisiodorum super Ligerim fluvium ad villam quae Bellus-Pauliacus dicitur pervenit. Interea [homines<sup>d</sup>] Gerardi comitis Acfridum in quadam villa bello conveniunt, et quia de casa firmissima Acfridus exire noluit, in qua [se<sup>d</sup>] recluserat, igne ipsi casae admoto, Acfridum ex ipsa expellunt, et truncato illi capite, corpus in ignem reiciunt. Tunc Karolus quasi ad hoc vindicandum flagitium pagum Bituricum adiit; in quo tanta mala et in ecclesiarum con-

a) Id. d. p. i. des. Fl.    b) in ras. 1.    c) i. e. ab Autisiodoro, ut edd. corr.; cf. p. 87, n. c.    d) deest 1; suppl. edd.

1) Corbeny (départ. Aisne).    2) Novembris legendum esse, Jaffé p. 254. monuit.



fractione et in pauperum oppressione atque in omnium flagitiorum commissione atque terrae devastatione commissa sunt, ut dici ore non possint, sicut multorum milium hominum fame mortuorum pro ipsa depopulatione attestatio demonstravit. Vindicta autem in Gerardum et eius comites non solum ulla non extitit, verum nec ipsi de<sup>a</sup> pago Biturico a quoquam expulsi sunt. Ablatis denique a Rotberti filio his quae post mortem patris de honoribus ipsius ei concesserat et per alios divisas, sed et a filiis Ramnulfi tultis<sup>1</sup> paternis honoribus, et data Sancti Hilarii abbatia, quam isdem habuit, Frotario Burdegalensium archiepiscopo, caput ieiunii ante sanctum quadragesima ad monasterium Sancti Dyonisii rediit <sup>Mart. 3.</sup> et inde Silvanectis perrexit.

Nortmanni vero per Ligerim ascendentes, Aurelianis perveniunt et, accepta praeda, impune ad suum diversorium redeunt.

Karolus vero sabbato ante palmas ad monasterium Sancti <sup>Apr. 17.</sup> Dyonisii rediit ibique pascha celebravit. Et inde antequam <sup>18.</sup> Silvacum adiret, secunda die rogationum Adventio Metten- <sup>Iun. 4.</sup> sium episcopo et Grimlando, Hlotharii cancellario, deferentibus epistolas Adriani papae, accepit unam<sup>2</sup> sibi directam, in qua isdem apostolicus praecepit, ut regno Hludowici imperatoris ac regno Hlotharii nullam molestiam ingerat; alteram<sup>2</sup> autem epistolam de absolutione Waldradae ad episcopos regni ipsius Karoli detulerunt, similes dicentes missas episcopis regni Hludowici<sup>3</sup> atque Hlotharii. Absolutio autem ipsius Waldradae<sup>b</sup> ea conditione est facta, ut Hlothario<sup>c</sup> nullo pacto cohaereat. Silvacum autem Karolus perveniens, Actardum Namnetensem episcopum Roma venientem suscepit, sibi deferentem epistolas, quarum una responsum reddidit de his quae Nicolao in contrarietate Hincmari mandavit, inter cetera ei inculcans, ut de cetero ac perpetuo talis inutilis quaestio sopita maneret<sup>4</sup>; alteram<sup>5</sup> autem epistolam Hincmaro detulit laudibus et fidelitatis dilectione<sup>d</sup> repletam, et ut eius vice in istis partibus de Hlothario fungeretur; tertiam<sup>e</sup> autem archiepiscopis aliisque episcopis Cisalpinis detulit, ut, quia isdem Actardus pro paganorum infestatione et Brittonum oppressione in sua civitate manere<sup>e</sup> non poterat, si locus eveniret, etiam de metropoli, isdem Actardus in

a) *in ras.* 1. b) *adae in ras.* 1. c) Hlotario *corr.* Hlothario 1. d) dilectionibus, *sed. bus del. et sequentem litteram r e corr. add.* 1. e) *e corr.* 1.

1) *i. e. latis, ablatis.* 2) *Hae epistolae non exstant; cf. Jaffé nr. 2193. 2196.* 3) *Jaffé nr. 2195.* 4) *Fortasse ib. 2199.* 5) *Ib. 2202.* 6) *Ib. 2200.*



vacante civitate pastore auctoritate apostolica ab episcopis provinciae ipsius incardinetur.

Mart. 10.

Quarta autem feria post initium quadragesimae factione Arsenii filius eius Eleutherius filiam Adriani papae ab alio desponsatam dolo decepit et rapuit sibi que coniunxit; unde idem papa nimium est contristatus. Arsenius ad Hludowicum imperatorem pergens in Beneventum, infirmitate corripitur, et thesaurum suum in manus Ingelbergae imperatricis committens, et, ut dicebatur, cum daemonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo, Adrianus papa apud imperatorem missos optinuit, qui praefatum Eleutherium secundum leges Romanas iudicarent. Isdem vero Eleutherius, consilio, ut fertur, fratris sui Anastasii, quem bibliothecarium<sup>a</sup> Romanae ecclesiae in exordio ordinationis suae Adrianus constituerat, Stephaniam, uxorem ipsius pontificis, et eius filiam, quam sibi rapuit, interfecit, et isdem Eleutherius a missis imperatoris occisus est. Adrianus vero papa congregans synodum, supradictum Anastasium hoc modo, sicut subsequitur, post dampnationes in eum latas iterum condempnavit:

HAEC IN IMAGINE IN DEXTERA PARTE SCRIPTA SUNT.

*Imperantibus dominis nostris imperatoribus Lothario et Hludowico augustis, mensis Decembris die 16, indictione 14.*

EXCOMMUNICATIO QUAM FECIT LEO EPISCOPUS DE ANASTASIO PRESBYTERO, ET POSTEA ADRIANUS.

*Leo episcopus, servus servorum Dei. Anastasius presbyter cardinis nostri, quem in titulo beati Marcelli ordinavimus, quique secedens ab eo ad alienas parroechias absque nostra pontificali scientia demigratus est, quem per missos et litteras nostras vocavimus, et pro quo dominos imperatores supplicati per missos nostros, ut eum ad suam parroechiam redire iuberent, qui [nunc<sup>b</sup> huc] nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, et ad duo vocatus concilia nostra minime venit, sed neque inventus est: quia, ut praediximus, veluti ovis errans extraneis regionibus, suadente diabolo, occulte inhabitat, secundum canonica statuta ex Dei omnipotentis et beati Petri apostoli nostraque simul apostolica auctoritate<sup>c</sup> ab hodie sit communione privatus, donec ipse meae speciali praesentiae in canonico iudicio fuerit praesentatus; et, si*

a) bibliothecarium corr. bibliothecarium 1.

b) nunc huc des. 1; suppl. B. P.

c) auctoritate corr. auctoritate 1.



non venerit, numquam communicet. Post<sup>1</sup> Romanum pontificem in hac excommunicatione consenserunt archiepiscopus Ravennatis ac Mediolanensis aliique<sup>a</sup> numero 75.

HAEC IN IMAGINE IN SINISTRA PARTE SCRIPTA SUNT.

*Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus et universis clericis cunctoque populo christiano. Quod bene ac pleniter vobiscum<sup>b</sup> simus, fratres karissimi, scitis. Nunc iterum pro cautela et memoria temporum futurorum dilectioni vestrae cognitum esse volumus, quomodo, instigante ac suadente diabolo, Anastasius presbiter cardinis nostri, quem nos in titulo beati Marcelli ordinavimus, contra statuta patrum provinciam ecclesiamque deserens, ecce iam per quinquennii tempus in alienas parroechias veluti ovis errans discurrit, quem etiam auctoritate suffulti canonica apostolicis litteris per tertiam quartamque vicem vocavimus. At ubi redire distulit, duo pro eo episcoporum concilia congregavimus, quorum conventu cum eius non potuissemus videre vel habere specialem praesentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus, volentes siquidem suam per huius excommunicationis censuram ad gremium sanctae<sup>c</sup>, a quo discesserat, matris ecclesiae personam reducere. Sed apostolica monita sanctique concilii pro nihilo ducens, erroris inretitus caligine, redire nullatenus voluit. Proinde, sicut Ravenna nobis degentibus de eo in ecclesia beati Vitalis martyris mense Maio die 29, indictione prima, ore proprio promulgavimus, nunc iterum in ecclesia beati Petri apostoli mense Iunio die 19, indictione<sup>d</sup> superius annotata, similiter promulgavimus: sit ille a sanctis patribus et a nobis anathema, et omnes, qui ei sive in electione, quod absit, aut pontificatus honore adiutorium praestare vel solatium quodcumque voluerint, simili anathemate subiaceant. Post<sup>1</sup> Romanum pontificem in hoc anathemate consenserunt Iohannes archiepiscopus Ravennatis, Nottingus<sup>2</sup> et Sigilfredus<sup>3</sup>, episcopi domni imperatoris<sup>e</sup>, et 6 episcopi ad praedictum archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus, et alii tam ex Romana urbe quam ex aliis numero 56, absque presbyteris et diaconibus sanctae Romanae ecclesiae.*

SUPER VALVAS ARGENTEAS HAEC SCRIPTA SUNT:

*In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Incipit sancta ac veneranda synodus, quae per Domini gratiam*

a) e ras. 1. b) nobiscum 1. c) a gr. s. in ras. 1. d) dictione 1. e) e corr. 1.

1) Non satis patet, utrum haec ab Hincmaro addita sint an Romae ita scripta fuerint. 2) Brixiensis. 3) Videtur esse Sigisfredus Regiensis episcopus. P.



et eius divinum consilium congregata est in ecclesia beati Petri apostoli, anno scilicet pontificatus sanctissimi ac coangelici et universalis quarti papae Leonis septimo atque invictissimorum Hlotharii ac Hludowici imperatorum anno imperii quadragesimo secundo<sup>1</sup>, mense Decembri die 8, indictione 2. In hac siquidem sancta ac venerabili synodo Domini solatiante gratia nobiliter celebrata, post diversas episcoporum sacerdotumque vel clericorum atque omnium christianorum pias ac salutiferas ammonitiones et exortationes depositus est iuste atque canonicę Anastasius presbyter tituli sancti Marcelli, eo quod contra auctoritatem canonicam propriam parroechiam deseruisset per annos scilicet 5, et in alienas adusque hodie demoratur, et neque vocatus neque excommunicatus et ad ultimum anathematizatus, sicut de eo in hac synodo veridica pictura<sup>a</sup> demonstrat, ad congregata duo pro eo episcoporum concilia venire noluit: ideo tam a summo pontifice quamque ab universis episcopis tunc synodo residentibus, videlicet numero 67, ob suam stultam audaciam merito, ut praediximus, est depositus et sacerdotali honore privatus, anno denique, mense ac die atque indictione ut supra.

#### HUC USQUE LEO PONTIFEX SCRIBI IUSSIT.

Post<sup>2</sup> mortem vero iam dicti Leonis dignae memoriae praesulis ipse anathematizatus atque depositus Anastasius seculari potentia rediens ab abditis, quibus sicut fur latitaverat, locis, diabolica fraude seductus inretitusque caligine, latronum more hanc quam non debuerat introire ecclesiam invasit, veluti aethnicus atque barbarus, ad perditionem suae animae atque periculum huius venerandae synodi cum suis nequissimis consentaneis atque sequacibus picturam destruxit imaque<sup>b</sup> deiecit, quam beatissimus papa Benedictus atque egregius restauravit et lucifluis coloribus decoravit.

*Adrianus episcopus, servus servorum Dei. Omni<sup>c</sup> Dei ecclesiae notum est, quid Anastasius tempore praedecessorum nostrorum pontificum gesserit, sed et qualiter<sup>d</sup> de illo sanctae recordationis Leo et Benedictus eximii praesules instituerint,*

a) ante pictura rasura septem fere litterarum 1.      b) ita 1; imaginemque corr. P.  
c) e corr. 1.      d) ab eis add. 1; ob id corr. B. P.

1) Hic anni imperii Lotharii ac Ludovici simul coniunguntur. Annus enim Lotharii 37. cum anno Ludovici 5. coniunctus reddit annum 42. imperii eorum. Porro istud concilium Romanum in praefatione habitum dicitur: Hlotharii ac Hludovici imperatorum anno imperii eorum 5. et 37. mense Decembri die 5, indict. 2. BOUQ.      2) Haec etiam ex Actis synodi Romanae sumta videntur esse.



palam est cunctis. Quorum unus eum deposuit, excommunicavit<sup>a</sup> et anathematizavit, alter vero sacerdotalibus expolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster sanctissimus papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset ecclesiae<sup>b</sup>; sed infidelitas eius nunc in tantum apparuit, ut post depraedationem patriarchii nostri ablationemque synodaliū scripturarum, quas<sup>c</sup> tam<sup>d</sup> . . . . . super eiusmodi a sanctissimis praesulibus diversis temporibus decretas reppererat, institutionem quoque venerandae synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam atque sub interpositione anathematis reffectam violari nobis subripiendo fecerit, et homines ad seminandum inter piissimos principes et ecclesiam Dei discordias per muros huius civitatis more furis exire coegerit quendamque Adalgrimum ad ecclesiam confugium facientem oculis et lingua privari suggesserit. Modo vero, sicut multi vestrum mecum a quodam presbitero, consanguineo eius, nomine Adone, audistis, et aliis modis nobis revelatum est, beneficiorum quoque nostrorum immemor, hominem ad Eleutherium<sup>e</sup> misit, exhortans homicidia perpetrari, quae, sicut scitis, proh dolor! facta sunt. Et ideo pro his omnibus et pro aliis multis, quibus ecclesiam Domini perculit<sup>f</sup> atque laesit, quam etiam subdolis machinationibus hactenus tundere non desistit, auctoritate Dei omnipotentis omniumque sanctorum patrum ac venerandorum conciliorum praedictorumque pontificum simul et iudicii<sup>g</sup> nostri sententia sancimus, illum eundem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo idem pontifices domini Leo et Benedictus sollemniter et synodice statuerunt, nihil in eius anathemate vel causa penitus adiungentes vel minuentes, nisi ut omni communione ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus quibus impetitur nobis coram synodo rationem ponat; et qui cum eo in locutione, cibo vel potu communicaverit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus, quia pro eo, quod altiora se petens — quod sibi toties interdictum fuerat — temere usurpavit ac vetitum locum conscendit, satis nostra ecclesia murmuravit et murmurat. Sane, si vel ab urbe Roma quantisper discesserit vel sacerdotium vel clericalem aliquem ordinem sive ministerium quodlibet repetere aut recipere praesumpserit, quia contra statuta praefatorum praesulum contraque iusiurandum, quod pollicitus est, numquam se ab urbe plus 40 milibus abscessurum, [nec<sup>h</sup>] sacerdotium vel gradum

a) e corr. 1.    b) ecclesiae 1.    c) quos 1.    d) ita 1; locum corruptum edd. ita emendare conati sunt: tam super se quam super huiusmodi.    e) e corr. 1.    f) perculit 1.    g) iudicii 1.    h) deest 1; suppl. B.



*clericalis esse ministerii petiturum, facere videbitur, cum omnibus factoribus<sup>a</sup>, consentaneis et sequacibus suis anathemate perhenni subiaceat. Prolata in conspectu totius sanctae Romanae ecclesiae ante hunc eundem Anastasium apud Sanctam Praxedem positum, anno pontificatus domni Adriani summi pontificis et universalis papae 1, per 4. Idus Octobris, indictione secunda.*

Hlotharius suspectum habens Karolum, ad Hludowicum se iterum contulit; et obtinuit, ut sacramentum illi fieri ex sua parte faceret, quatenus in nullo nocumento illi foret, si in coniugem Waldradam acciperet. Sicque ad palatium Attinacum ad conloquium Karoli venit ibique placitum accepit, ut post futuras Kalendas Octobris simul iterum loquerentur. Karolus autem per curtes regias in pago Laudunensi consistentes pergens, Hincmarum Laudunensem episcopum, nullo episcopo suae provinciae conscio, iussit, ut ad causas suas, id est ad seculare iudicium, advocatum suum daret, pro eo quod beneficia quibusdam suis hominibus abstulit. Isdem autem episcopus se reclamans, quod relicto ecclesiastico iudicio non auderet saeculare adire iudicium, sicut ei iussum fuerat, ad locum nominatum saecularis iudicii non venit, sed causas suae impossibilitatis regi mandavit. Rex autem Karolus iubens inde quasdam iudicare etiam infames personas, quia personam praefatus episcopus non misit, qui iuraret, quod illuc venire non posset, et quoniam advocatum suum de se in iudicio seculari non dedit, praedictarum personarum iudicio, quicquid isdem episcopus de rebus et facultatibus ecclesiasticis in usibus episcopii specialiter habebat, proscriptum est. Sicque idem rex ad Pistas medio mense Augusto veniens, annua dona sua ibidem accepit, et castellum mensurans, pedituras<sup>1</sup> singulis ex suo regno dedit.

Hincmarus autem Remorum archiepiscopus Hincmarum episcopum Laudunensem secum ducens, apud Pistas cum aliis episcopis scriptis et verbis<sup>2</sup> regem adiit, ostendens, quantum praeiudicium et episcopalis auctoritas et universalis aeclesia in tali facto patiebatur; et optinuit, ut, revestito episcopo quibus fuerat spoliatus, sicut sacrae leges praecipunt, in provincia ubi haec causa iudicanda erat electorum iudicium iudicio et, si necesse foret, post hoc synodali terminaretur examine. Sed et in eodem placito rex markiones,

a) i. e. fautoribus; v. supra p. 63. 65.

1) Peditura seu pedatura, quodlibet spatium certo pedum numero definitum; quod ad aedificandum singulis imposuit. 2) Vide Hincmari Remensis quaterniones ad Karolum directos et Extemporalem admonitionem, Migne Patrol. CXXV, p. 1035. 1065.



Bernardum scilicet Tolosae et iterum Bernardum Gothiae<sup>a</sup>, itemque Bernardum alium<sup>1</sup> suscepit. Missum etiam Salomonis Brittonum ducis ibi obvium habuit, per quem Salomon illi mandavit, ut haut<sup>b</sup> ipse pergeret ad expugnandos Nortmannos qui residebant in Ligeri, quia isdem Salomon cum valida manu Brittonum paratus erat illos adgredi, tantum ut adiutorium ex Karoli parte haberet. Ad quem idem rex praemittens Engelramnum camerarium et hostiariorum magistrum atque a secretis consiliarium suum cum corona auro et gemmis ornata, sed et cum omni paramento regio cultu exculto, Karlomannum\*, filium suum, diaconum et abbatem, cum scara e vestigio, sicut Salomon ei mandaverat, misit, et inde Audriacam villam gratia venandi perrexit. Scara, quae cum Karlomanno a Karolo rege trans Sequanam missa, terram quidem vastavit, sed nullius utilitatis effectum ex Nortmannis, ad quos resistendum missa fuerat, faciens, iubente rege Karolo rediit; et sic unusquisque ad sua perrexit. Pictavenses autem vota facientes Deo et sancto Hilario, tertio eosdem Nortmannos fuere aggressi; quorum plures occiderunt, ceteros vero in fugam miserunt et de omni praeda, excepta voluntaria oblatione, decimam sancto Hilario contulerunt.

Karolus rex Kalendis Decembris Carisiacum veniens, quosdam primores, tam ex episcopis quam ex aliis regni sui, obviam sibi accersivit, et commotus contra Hincmarum Laudunensem episcopum, quia Romam sine illius conscientia miserat et epistolas pro quibus non convenerat obtinuerat, eidem vero episcopo contumaciter sibi resistenti valde infensus erat. Unde isdem episcopus sine illius licentia, cum saepe ab eo evocatus fuerat et ad illum venire distulisset, ad sedem suam perrexit et amplius quam episcopalis gravitas postulat eundem regem contra se excitavit. Karolus autem Compendium veniens, ibidem nativitatem Domini celebravit

anno Domini 869.

Et quoniam isdem episcopus, etiam per alios episcopos edoctus ut ad illum veniret, iussionem illius implere detrectavit, scaram ex quam plurimis comitibus regni sui confectam

\*) *Huic vocabulo manu scribae superscriptum*: lite (iste?) abbas Sancti Amandi fuit.

a) Gothę 1.    b) aut 1.

1) *Bernardus dux Tolosanus Raimundi I. filius erat; Bernardus dux Gothiae alterius Bernardi Cenomannensis comitis filius; tertius Bernardus, qui honoribus privatus fuerat anno 864. in conventu Pistensi, filius erat Bernardi Septimaniae ducis, qui a. 844. a Carolo Calvo occisus est. BOUQ.*



Laudunum misit, ut ipsum episcopum violenter ad eum perducerent. Isdem autem episcopus cum clericis suis iuxta altare resedit, et quibusdam episcopis satagentibus, actum est, ut ipsi qui missi fuerant de ecclesia eum non extraherent, sed sine illo ad Karolum redierunt, omnesque homines ipsius episcopii liberos sibi sacramenta fieri fecit. Karolus autem valde commotus, synodum omnium episcoporum regni sui 8. Kalendas Mai secundae indictionis apud Vermeriam condixit<sup>a</sup>, quo eundem Hincmarum episcopum vocari praecepit. Ipse autem ad Conadam<sup>1</sup> vicum nimis incongruenter et pro qualitate temporis et pro nimietate famis perrexit; ubi quosdam Aquitanos obvios habuit; sed markiones, tres videlicet Bernardos, quos sibi occurrere putavit, non habens obvios, non sine sollicitudine et sine utilitatis effectu ad Silvanectum rediit. Indeque quarta feria ante initium quadragesimae ad monasterium Sancti Dyonisii perrexit ibique

Febr. 16. sanctum quadragesimae ieiunium exegit et pascha Domini

Apr. 3. celebravit et castellum in giro ipsius monasterii ex ligno et lapide conficere coepit. Et antequam ad Conadam pergeret, per omne regnum suum litteras misit, ut episcopi, abbates et abbatissae breves de honoribus suis, quanta mansaque haberet, futuras Kalendas Mai deferre curarent, vassalli autem dominici comitum beneficia et comites vassallorum beneficia inbreviarent et praedicto placito aedium breves inde deferrent, et de centum mansis unum<sup>b</sup> haistaldum et de mille mansis unum carrum cum duobus bobus praedicto<sup>c</sup> placito cum aliis exeniis, quae regnum illius admodum gravant, ad Pistas mitti praecepit, quatenus ipsi haistaldi castellum, quod ibidem ex ligno et lapide fieri<sup>d</sup> praecepit, excolerent et custodirent.

Hlotharius mittens ad eum, sed et ad Hludowicum, petiit, ut in suo regno nullum<sup>e</sup> impedimentum ei facerent<sup>f</sup>, donec ipse Roma rediret. A Karolo autem nullam firmitatem accepit, sed a Hludowico, sicut dicitur, firmitatem inde suscipiens, Romam perrexit, locuturus prius cum Hludowico, fratre suo, imperatore, ut tunc, si posset, per eum apud Adrianum papam obtineret, quatenus Teutbergam reiceret et Waldradam resumeret; ipsamque Teutbergam post se Romam ire praecepit. Sed, ut dicebatur, Hludowicus imperator ab obsessione Sarracenorum pro fratris sui petitione non debuisset discedere; cui amplius quam ducentas naves rex Grecorum in

a) condixit corr. conduxit 1.    b) unūshaistaldum 1.    c) pr. pl. om. Ch., et fortasse perperam ex praecedentibus intrusa sunt.    d) f. pr. e. in ras. 1.    e) ante nullum duae litterae erasae 1.    f) ent in ras. 1.

1) Cosne (dép. Nièvre); Monod p. 252.



auxilium contra eosdem Sarracenos festinato mittebat. Hlotharius iter, quod tempore inconvenienti, scilicet mense Iunio, causa uxorum suarum<sup>a</sup> in parte Romae coeperat, contendens<sup>b</sup> perficere, usque Ravennam venit. Ubi missos fratris sui obvios habuit, per quos ei contradixit, ut nec in antea procederet, nec diutius in eodem regno immoraretur, sed ad suum regnum rediret, et tempore commodo et oportuno loco simul convenirent, et de quibus vellet cum eo satageret. Hlotharius autem Romam rediens, a latere ad suum fratrem in Beneventum usque pervenit, et apud eum per Engelbergam multis petitionibus et muneribus atque inconvenientibus obtinuit, ut ipsa Engelberga cum eo usque ad monasterium Sancti Benedicti, quod in monte Cassino situm est, rediret. Quo etiam Adrianum papam eidem Engelbergae<sup>c</sup> et sibi ex iussione imperatoris venire fecit, et apud eum, datis illi multis muneribus, per ipsam Engelbergam obtinuit, ut idem papa illi missam cantaverit et sacram communionem hac convenientia ei donaverit, si, postquam Nicolaus papa Waldradam excommunicavit, nullum cum ea contubernium vel carnalis copulae mercimonium, quin nec colloquium quoddam habuerit. Ipse autem infelix more Iudae simulata bona conscientia et impudenti fronte eandem sacram communionem sub hac conventionem accipere non pertimuit nec recusavit; sed et sui fautores cum eo ab ipso papa percepere communionem. Inter quos et Guntharius, auctor et incentor huius publici adulterii, communionem inter laicos ab eodem Adriano papa accepit, data illi prius coram omnibus professione, quae ita habetur:

*Profiteor ego Guntarius coram Deo et sanctis eius vobis, domino meo Adriano, summo pontifici et universali papae, ac venerandis tibi subditis episcopis reliquoque conventu, quoniam iudicium depositionis in me a domno Nicolao canonice datum<sup>d</sup> non reprehendo, sed humiliter porto. Unde nec ulterius sacrum ministerium contingere praesumo, nisi per misericordiam mihi subvenire volueritis, nec aliquando contra sanctam Romanam ecclesiam aut eius pontificem aliquod scandalum vel quicquam adversi movere volo, sed devotum me eidem sanctae matri ecclesiae eiusque praesuli exhibere atque obedientem permanere protestor. Ego Guntarius huic professioni a me factae manu propria subscripsi. Data Kalendis Iulii, indictione secunda, in ecclesia sancti Salvatoris, quae est in monasterio Sancti Benedicti Cassino.*

Accipiens autem isdem papa a Guntario consistentem inter laicos hanc professionem, relectam inter laicos ab ipso

a) suorum 1.    b) e corr. 1.    c) Engebergae 1.    d) latum edd.



publice coram omnibus, dixit illi: 'Et ego tibi concedo laicam communionem, ea conditione, ut ita, quamdiu vixeris, observes, sicut modo professus fuisti'.

Engelberga denique redeunte ad suum imperatorem, Adrianus papa Romam reversus est. Quem e vestigio Hlotharius est persecutus. Et Adriano papa Romam ingrediente, Hlotharius ad aecclesiam beati Petri venit. Ubi nullum clericum obvium habuit, sed tantum ipse usque ad sepulchrum sancti Petri cum suis pervenit, indeque solarium secus ecclesiam beati Petri mansionem habiturus intravit; quem nec  
Iul. 3. etiam scopa mundatum invenit. Putavitque in crastina, subsequente videlicet dominica — nam sabbato ad basilicam sancti Petri pervenit — sibi cantari debere missam; a prae-  
Iul. 4. fato pontifice hoc obtinere non potuit. Inde secunda feria<sup>1</sup> Romam ingrediens, in palatio Lateranensi cum ipso apostolico prandit, et datis ei muneribus in vasis aureis et argenteis obtinuit, ut ei ipse pontifex leenam<sup>a. 2</sup> et palmam ac ferulam daret; sicut et fecit. Quae munera ita ipse et sui interpretati sunt, videlicet ut per leenam<sup>a</sup> de Waldrada revestiretur, per palmam victorem se<sup>b</sup> in his quae coeperat demonstraret, per ferulam episcopos suae voluntati resistentes obsistendo distringeret. Sed aliter ab eodem papa et Romanis fuere disposita. Nam idem pontifex Formosum episcopum et alium etiam cum eo episcopum in has Galliarum partes mittendos disposuit, ut cum pluralitate episcoporum de his quae Hlotharius petebat tractarent et illi Kalendis Martii quae inventa forent in synodo renuntiarent<sup>c</sup>, quam Romae in ipsis Kalendis Martii denunciavit; quo etiam quattuor episcopos ex regno Hludowici regis Germaniae cum ipsius legatis et quattuor episcopos ex regno Karoli cum eius legatis et quosdam episcopos ex regno Hlotharii epistolis suis hac conditione venire praecepit, ut, quae in synodo vel examinanda vel gerenda forent, in personis aliorum confirmarent, tam ex occidentalibus partibus quam ex orientalibus. Unde missos suos, quos nuper Constantinopolim pro contentione quam orientales cum Nicolao papa habuere<sup>d</sup> miserat, tunc venturos sperabat. Hlotharius<sup>3</sup> vero Roma laetus promovens, usque Lucam civitatem venit. Ubi febre corripitur, et grassante clade in suos, quos in oculos<sup>e</sup> suos coacervatim mori

a) laenam em. P.      b) ante se rasura septem fere litterarum 1.      c) nuntiarent corr. renuntiarent 1.      d) habere 1; habebant edd.      e) in oculis suis A.

1) Jaffé p. 257. haec ad Iul. 11. revicit.      2) laena λαινα, γλαινα, sagum densum.      3) Quae sequuntur in Aimoini cont. V, 21—40 (A.) exscripta sunt. Sed verba saepe mutata, ita ut non omnes lectiones afferendas iudicaverim.



conspiciebat, sed iudicium Dei intellegere nolens, usque Placentiam 8. Idus Augusti pervenit; ibique dominica die <sup>Aug. 6-8.</sup> superdiurnans, circa horam nonam inopinate exanimis paene effectus est et obmutuit<sup>a</sup>, atque in crastino hora diei secunda moritur, et a paucis suorum qui a clade remanserant in quodam monasteriolo<sup>1</sup> secus ipsam civitatem terrae mandatur.

Quod Karolus apud Silvanectis civitatem degens — ubi tam ipse quam et uxor sua thesauros, quos in quibuscumque rebus habuerant, per loca sancta in suam elemosinam dispensantes, a Pistis reversi, Domino, de cuius manu illos acceperant, reddiderunt —, non incerto comperiens nuncio, ab ipsa civitate movens, Attiniacum venit. Ubi a quibusdam episcopis, sed et ab aliquibus primoribus regni quondam Hlotharii missos directos suscepit, ut ibi resideret et in regnum quod Hlotharii fuerat non intraret, donec frater suus Hludovicus rex Germaniae ab expeditione hostili de Winidis, cum quibus praesenti et praeterito anno saepe cominus sui congregantes aut nihil aut parum utilitatis egerunt, sed dampnum maximum retulerunt, reverteretur<sup>b</sup>. Petierunt ergo, ut in palatio residens Engiliheim<sup>c</sup> ad eum missos suos dirigeret et ei mandaret, ubi et quando simul convenirent et de regni ipsius divisione tractarent; plures autem saniori consilio illi mandaverunt, ut, quantocius commode<sup>d</sup> posset, usque Mettis properare satageret, et ipsi tam in itinere quam ad ipsam civitatem ei occurrere maturarent. Quorum consilium Karolus acceptabilius et sibi salubrius esse intellegens, iuxta eorum suggestionem agere festinavit. Veniens ergo usque Viridunum, plurimos de eodem regno, sed et Hattonem ipsius civitatis episcopum et Arnulfum Tullensis urbis episcopum, sibi [se<sup>e</sup>] commendantes suscepit. Indeque Mettis Nonas Septembris veniens, Adventium ipsius civitatis praesulem<sup>f</sup> et Franconem Tungrensem episcopum cum multis aliis in sua commendatione suscepit. Sicque 5. Idus ipsius mensis ab episcopis qui adfuerunt, cohibentibus<sup>g</sup> omnibus, in basilica beati Stephani haec quae sequuntur denunciata et gesta fuere hoc modo<sup>2</sup>:

a) obmutescens in crastinum *A.* b) revertentes 1. c) r. E. 1; p. residenet (resideret?) Eng. 1<sup>a</sup>; cf. *Dimmmler I*, p. 721, n. Sed nec ita locum sanum habeo; sed *Aimoinum secutus legendum puto: revertens (reverteretur A.) et in palatio E. residens (sc. Hludovicus) ad eum etc.* d) quomodo *A.* e) deest 1. f) presulāe 1. g) i. e. conniventibus; cf. *Ducange II*, p. 538; cohibentibus *A.*

1) In ecclesia b. Antonini martyris, *Adonis chron.*, SS. II, p. 323.  
2) *Eadem ediderunt Sirmondus, Karoli Calvi Capit.* p. 371; *Conc. Gall.* III, p. 383, et *Baluzius*; hunc secutus *Pertz*, LL. I, p. 512. *Illius lectiones attuli, S. indicatas.*



Anno incarnationis dominicae 869, indictione<sup>1</sup> 2, 5. Idus Septembris, Mettis civitate<sup>a</sup> in ecclesia sancti Stephani martyris haec quae sequuntur capitula Adventius episcopus ipsius civitatis coram rege et episcopis qui adfuerunt publice populo et<sup>b</sup> scripto et verbis denunciavit:

‘Vos scitis<sup>c</sup>, et multis in plurimis regnis est cognitum, quantos et quales eventus tempore senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus, et quanto dolore quantaque angustia de illius infausta morte nuper cordibus percussi sumus. Unde unicum refugium et singulariter<sup>d</sup> salubre consilium, rege et principe nostro destituti ac desolati, nobis omnibus esse, consideravimus, ut ieiuniis et orationibus ad eum nos converteremus, qui est adiutor in oportunitatibus, in tribulatione, et cuius est consilium, ac cuius<sup>e</sup> est regnum, et, ut<sup>f</sup> scriptum est, cui voluerit dabit illud, et in cuius manu corda sunt regum, et facit unanimes<sup>g</sup> habitare in domo, solvens medium parietem et faciens utraque unum; deprecantes ipsius misericordiam, ut daret nobis regem ac principem secundum cor suum, qui in iudicio et iustitia nos in omni ordine ac professione regeret, salvaret atque defenderet iuxta voluntatem eius et corda omnium nostrum<sup>h</sup> unanimiter ad<sup>i</sup> eum declinaret atque uniret, quem ipse ad salutem et profectum nostrum praescitum et electum atque praedestinatum habebat<sup>k</sup> secundum misericordiam suam. Quia denique voluntatem<sup>l</sup> Dei, qui voluntatem timentium se facit et deprecationes eorum exaudit, in concordi unanimitate nostra videmus hunc regni huius heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, dominum videlicet praesentem regem<sup>m</sup> ac principem nostrum Karolum, ut nobis praesit et prosit, videtur nobis, si vobis placet<sup>n</sup>, ut, sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstramus, quia illum a Deo electum et nobis datum principem credimus, et eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes oremus, quatenus et eum nobis<sup>o</sup> ad salutem et defensionem sanctae suae ecclesiae et ad auxilium atque profectum omnium nostrum cum salute et<sup>p</sup> pace atque tranquillitate nobis conservet diutius et nos fidei devotione illi obsequentes atque optata salvatione fruentes sub illius administratione in suo gubernet servitio. Et, si illi placet,

a) civitatis I. b) ita A. S.; deest I. c) fratres add. A. d) ita A. S.; singulare ac s. I. e) ita A. S.; cuiusque I. f) deest I. g) unianimes I. h) nostrorum S. i) in e. incl. S. k) habeat S. l) ille qui v. A. m) p. hunc principem A. n) p. v. I. o) eum datum nobis datum principem A. p) ac p. et t. S.; cum p. et t. A.

1) Haec indictio secunda Constantiniana est, quae initium sumpsit a die 24. mensis Septembris anni 868. BOUQ.



*dignum ipsi et necessarium nobis esse<sup>a</sup> videtur, ut ex eius ore audiamus, quod a christianissimo rege fideli et unanimi in servitio illius populo, unicuique in ordine<sup>b</sup> suo, convenit audire ac devota mente suscipere<sup>c</sup>.*

*Post haec Karolus<sup>c</sup> rex haec quae sequuntur per se in eadem ecclesia cunctis qui adfuerunt denunciavit, [dicens<sup>d</sup>]:*

*'Quia, sicut isti venerabiles episcopi unius ex ipsis voce dixerunt et certis indiciis ex vestra unanimitate monstraverunt, et vos acclamastis, me Dei electione ad vestram salvationem et profectum atque<sup>e</sup> regimen et gubernationem huc advenisse, sciatis, me honorem et cultum Dei atque sanctarum aeccliesiarum Domino adiuvante conservare et unumquemque vestrum secundum sui ordinis dignitatem et personam iuxta meum scire et posse honorare et salvare et honoratum ac salvatum tenere velle et unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges, tam aeccliesiasticas quam mundanas, legem et iustitiam conservare, in hoc, ut honor regius et potestas ac debita oboedientia atque adiutorium ad regnum mihi a Deo datum continendum et defendendum ab unoquoque vestrum secundum suum ordinem et dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iuste et rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt<sup>f</sup>.*

*Et post haec Hincmarus Remorum episcopus haec quae sequuntur capitula, iubente ac postulante Adventio ipsius civitatis<sup>f</sup> episcopo et<sup>g</sup> ceteris episcopis Treverorum<sup>h</sup> provinciae, Hattone<sup>i</sup> scilicet ecclesiae Viridunensis episcopo et Arnulfo Tullensis civitatis<sup>k</sup> episcopo<sup>l</sup>, cohibentibus<sup>l</sup> provinciae Remorum episcopis, coram [reliquis<sup>m</sup>] episcopis et rege cunctisque<sup>n</sup> qui adfuerunt in eadem ecclesia publice denunciavit:*

*'Ne alicui forte videatur, incongrue ac praesumptiose<sup>o</sup> me ac provinciae nostrae venerabiles coepiscopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi et causis huius provinciae nos immisecimus<sup>p</sup>, sciat, nos contra canones sacros non agere, quoniam Remensis et Treverensis ecclesiae in hac regione Belgica cum<sup>q</sup> sibi commissis ecclesiis sorores et comprovinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica et antiquissima demonstrat consuetudo, ac per hoc unanimi consensu et synodalia iudicia exercere<sup>r</sup> et quae a sanctis patribus constituta sunt debent concorditer custodire, hac privilegii conditione servata, ut, qui prior de Remensi et Treverensi episcopo<sup>s</sup> fuerit<sup>t</sup> ordinatus, prior etiam habeatur.*

a) videtur fore A. b) s. o. S. c) r. K. S. d) deest S. A. e) ita S. A.; ac r. atque g. 1. f) ep. civ. corr. civ. ep. 1. g) ac S. h) Trevir. S. i) Attone S. k) deest A. l) conhib. S. A. m) deest S. A. n) cunctis A. o) ita 1. S. p) immisecentes A. q) c. s. des. S. r) exerere 1. S. s) episcopis S. t) fuerat 1; fuit S.

1) S. addit: Francone Tungrensis civitatis episcopo.



Deut. 23, 25. *Et lex divinitus inspirata praecipit, dicens: "Si transieris per messem amici tui, colligens spicas, manu confri-*  
*cabis ad manducandum. Falcem<sup>a</sup> autem non mittas", vel*  
*"falce non metas". Messis est populus, ut Dominus mon-*  
 Matth. 9, 37. *strat in euangelio, dicens: "Messis quidem est multa, ope-*  
*rarii autem pauci; rogate ergo<sup>b</sup> dominum messis, ut mittat*  
*operarios in messem suam". Quia vos pro nobis<sup>c</sup> episcopis*  
*debetis orare, ut vobis digna possimus loqui. Messis autem*  
*amici est populus in provincia alteri metropolitano commissa.*  
*Unde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad*  
*Dei voluntatem et vestram salutem<sup>d</sup> in corpus unitatis eccle-*  
*siae valemus et debemus traicere, in parrochianos autem*  
*provinciarum aliis metropolitanis commissarum falcem iudicii*  
*non mittimus, quia nec est unde nec nostrum esse considera-*  
*mus. Est et alia causa, quia isti venerabiles domini et con-*  
*fratres<sup>e</sup> nostri, provinciae istius episcopi, non habentes metro-*  
*politano episcopum, exiguitatem nostram sic in suis sicut*  
*et in specialibus nostris causis nos fraterna caritate iubent*  
*et commonent agere. Est ita, domni fratres?* — *Et respon-*  
*derunt<sup>f</sup> ipsi episcopi: 'Ita est'. — Praeter ea, quae domnus*  
*episcopus et frater noster Adventius vobis ex sua et cetero-*  
*rum suorum ac nostrorum fratrum et venerabilium episco-*  
*porum voce dixit, in hoc etiam animadvertere potestis, volun-*  
*tatem Dei esse, ut praesens domnus et rex noster, qui in*  
*parte regni<sup>g</sup>, quam hactenus tenet et tenuit, et nobis ac<sup>h</sup>*  
*ecclesiis nostris et populo sibi commisso utiliter praestit ac*  
*praefuit et salubriter prodest et profuit, inde ad hunc locum*  
*Domino ducente pervenerit; quo etiam vos eius inspiratione*  
*confluxistis, et ipsi vos sponte commendastis, cuius instinctu<sup>i</sup>*  
*animata<sup>k</sup> omnia in arcam Noe, significantem<sup>l</sup> ecclesiae uni-*  
*tatem, nullo cogente convenerunt. Quia sanctae memoriae*  
*pater suus domnus Hludowicus Pius imperator augustus,*  
*ex progenie Hludowici<sup>m</sup> regis Francorum incliti, per beati*  
*Remigii Francorum apostoli<sup>n</sup> catholicam praedicationem*  
*cum integra gente conversi et cum tribus Francorum milibus,*  
*exceptis parvulis et mulieribus, vigilia sanctae<sup>o</sup> paschae in*  
*Remensi metropoli baptizati et caelitus sumpto chrismate,*  
*unde adhuc habemus, peruncti et in regem sacrati<sup>1</sup>, exortus*  
*per beatum Arnulfum, cuius carne<sup>p</sup> idem Hludowicus*

a) m. falce autem non metas A. mediis omissis; et ita Sacra Scriptura. Sed S. cum 1 facit. b) deest S. c) ita A. S.; vestris 1. d) deest 1. e) ita A. S.; fratres 1. f) responderunt corr., ut videtur, responderant 1. g) deest 1. h) ita A. S.; n. ecclesiisque 1. i) ita A. S.; instructu 1. k) ita 1. A.; animantia S. l) significationem 1. m) Chlodovei A. n) apostolicam corr. apostoli 1. o) sancti A. S. p) deest A.

1) Ita Hincmarus in Vita Remigii.



*Pius augustus originem duxit carnis, et a Stephano papa Romano ante sanctae Dei genetricis et semper virginis Mariae altare Remi<sup>a</sup> in imperatorem est coronatus et demum factione quorundam terreno imperio destitutus, in praedictam regni partem unanimitate episcoporum et fidelis populi ante sepulchrum sancti Dyonisii eximii martyris ecclesiae sanctae est redditus, et in hac domo ante hoc altare protomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum resonat 'coronatus', per Domini sacerdotes acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona regni est imperio<sup>b</sup> restitutus. Et quia, ut<sup>c</sup> in historiis sacris legimus, reges, quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur [istis<sup>d</sup>] venerabilibus episcopis, si vestrae unanimitati placet, ut in obtentu<sup>e</sup> regni, unde vos ad illum sponte<sup>f</sup> convenistis et vos ei commendastis, sacerdotali ministerio ante hoc<sup>g</sup> altare coronetur et sacra unctione Deo<sup>h</sup> consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate'. — Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem episcopus: 'Agamus ergo unanimiter Domino gratias, decantantes "Te Deum laudamus"'.*

Et post haec ab episcopis cum benedictione sacerdotali est idem rex coronatus.

Indeque Florikingas<sup>1</sup> veniens, quae ordinanda sibi visa sunt ordinavit. Indeque in saltum Arduennae autumnali venatione exercitandum se contulit. Hludowicus autem, frater eius, pacem sub quadam conditione apud Winidos obtinere procuravit; ad quam confirmandam filios suos cum marchionibus<sup>i</sup> terrae ipsius direxerat, ipseque infirmus in Ragenisburgh civitate remansit. Et mittens missos suos ad Karolum, mandavit illi de firmitatibus quae inter eos factae fuerunt, sed et de portione regni quondam Hlotharii. Unde Karolus illi congruam responsionem mandavit.

Interea Basilius, quem Michahel Grecorum imperator sibi in consortem<sup>k</sup> imperii assciverat, eundem Michahelem dolo interfecit et imperium sibi asscivit. Qui patricium suum ad Barram<sup>l</sup> cum 400<sup>m</sup> navibus miserat, ut et Hludowico contra Sarracenos ferret suffragium et filiam ipsius Hludowici a se desponsatam de eodem Hludowico susciperet et illi<sup>n</sup> in coniugio sibi copulandam duceret. Sed quadam

a) Remis A. b) imperioque I. c) aut I, ubi in deest. d) deest I; i. v. e. des. A. e) obedientia S.; obtentum P. f) deest I. g) a. h. S. h) Domino A. i) markionibus A. k) sortem I; consortium A. l) Bairam h. l. I; s. Abbaram A. m) 300 A. n) et s. in c. cop. A.

1) Florenges, semihora a Theodonis-villa distans.



occasione interveniente, displicuit Hludowico dare filiam suam patricio. Unde idem patricius molestus, Corinthum rediit, et revertente Hludowico ab obsidione Sarracenorum de partibus Beneventanis, idem Sarraceni de Barra<sup>a</sup> egredientes et hostem Hludowici<sup>b</sup> post tergum sequentes, plus quam duo milia caballorum<sup>c</sup> ipsius hostis praedati sunt, et cum eisdem caballis duos ex se ipsis ordinantes cuneos, ad ecclesiam sancti Michahelis in monte Gargano perrexerunt, et clericos eiusdem ecclesiae multosque alios qui ad orationem illuc convenerant depraedantes, cum multa spolia ad sua redierunt. Quod factum valde imperatorem atque apostolicum, sed et Romanos turbavit.

Hludowicus, Hludowici regis Germaniae filius, cum Saxonibus contra Winidos, qui in regionibus Saxonum sunt, bellum committens, cum multa strage hominum ex utraque parte quoquo modo victoriam est adeptus indeque [prospere<sup>d</sup>] reversus.

Rotlandus Arelatensis archiepiscopus abbatiam Sancti Caesarii<sup>e.1</sup> apud Hludowicum imperatorem et Engelbergam non vacua manu adeptus, in insula Camaria nimis undecumque ditissima, in qua res ipsius abbatae plurimae coniacent et in qua portum Sarraceni habere solebant, castellum opere tumultuario de sola terra aedificans, audito Sarracenorum adventu, in illud satis inconsulte intravit; et appulentibus<sup>f</sup> ad ipsum castellum Sarracenis, amplius quam 300 suorum interfectis, ab eisdem Sarracenis est captus et in eorum naves<sup>g</sup> deductus est<sup>h</sup> ac religatus. Unde 150 libris argenti et 150 mantellis et 150 spatibus et 150 mancipiis, praeter illa quae in placito data sunt, ad redemptionem eius concessa<sup>i</sup> sunt. Interea idem<sup>k</sup> episcopus in navibus moritur 13. Kalendas Octobris. Sarraceni autem ingeniose accelerantes de redemptione illius, quasi non possent ibi amplius immorari, si illum vellent recipere, redemptores illius redemptionem pro eo dare accelerant<sup>l</sup>; quod et factum est. Et Sarraceni, suscepta omni redemptione, miserunt eundem episcopum sedere in cathedra, indutum vestimentis sacerdotalibus cum quibus captus fuerat, et velut pro honore deportaverunt eum in terram a navibus. Redemptores autem illius volentes cum eo colloqui et congratulari ei, invenerunt eum mortuum. Quem cum maximo luctu exportantes, sepelierunt

a) ita h. l. 1; A. b) Hludouui corr. Hludouuici 1. c) caballos A. d) deest 1. e) Coesani 1. f) applicantibus A. g) nave 1. h) deest A. i) concessus int. A.; concessis, int. A. ed., quod P. recepit. k) isdem A. l) accelerarent A.; edicunt add. A. ed. et P.

1) Arelatensem.



eum 10. Kalendas Octobris in sepulchro quod sibi ipse paraverat.

Salomon dux Brittonum pacem cum Nortmannis in Ligeri<sup>a</sup> residentibus fecit et vinum partis suae de pago Andegavensi cum Brittonibus suis collegit. Hugo abba et Gauzfridus cum Transsequanans<sup>b</sup> configentes cum Nortmannis in Ligeri<sup>a</sup> residentibus, 60 circiter inde interfecerunt; et capientes quendam apostatam monachum, qui relictam christianitate se Nortmannis contulerat et nimis christianis infestissimus erat, decollari fecerunt<sup>1</sup>. Karolus vero civitates trans Sequanam ab incolis firmari rogavit, Cynomannis<sup>c</sup> scilicet ac Turonis, ut<sup>d</sup> praesidio contra Nortmannos populis esse possent. Nortmanni autem hoc audientes, multam summam argenti, frumenti quoque et vini ac animalium ab incolis terrae<sup>e</sup> ipsius quaesierunt, ut cum eis pacem facerent.

Karolus in<sup>f</sup> villa Duciaco<sup>2</sup> 7. Idus Octobris certo [nuntio<sup>g</sup>] comperiens, obisse Hyrmentrudem uxorem suam 2. Nonas Octobris in monasterio Sancti Dyonisii, ubi et sepulta est, exsequente Bosone, filio Buvini<sup>h</sup> quondam comitis, hoc misaticum apud matrem et materteram suam Teutbergam, Hlotharii regis relictam, sororem ipsius Bosonis nomine Richildem mox sibi adduci fecit et in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni abbatiam Sancti Mauricii cum aliis honoribus dedit, et ipse Aquis palatium, eandem concubinam secum ducens, festinare acceleravit, quatenus ibi<sup>i</sup> residuos illius partis homines qui<sup>k</sup> Hlotharii fuerant, sicut ei mandaverant, in sua divisione<sup>l</sup> susciperet, denuntians, se abinde palatium quod Gundulfi-villa dicitur missa sancti Martini venturum, ut de Provincia et de superioribus partibus Burgundiae ad se venturos suscipiat. Veniens autem Aquis, nullum optinuit quem ante non habuit, et inde, ut denunciaverat, ad Gundulfi-villam pervenit. Ubi missos Adriani papae, Paulum et Leonem episcopos, suscepit cum epistolis [sibi<sup>m</sup>] et praesulibus ac regni primoribus in his Galliarum partium regionibus consistentibus<sup>3</sup>. In quibus continebatur, ut regnum quondam regis Hlotharii, quod Hludowico impe-

a) in Ligerim A. b) Transsequanis A. c) Cin. A. d) et ut A. e) i. t. A. f) i. v. in ras. 1. g) deest 1. h) Buuni A. i) ubi 1. k) erasum 1. l) ita A.; dicitione 1; ditione edd. m) ita A.; deest 1; missis sibi A. ed., quod P. recepit; certe vocabulum (directis vel simile) deesse videtur.

1) *Aimoini cont. h. l. addit*: Ea tempestate secunda irruptione Nortmanni Parisius venerunt et beati Germani monasterium depopulati sunt, cellarioque fratrum igne immisso, cum multa preda undecumque acquisita redierunt. 2) *Douzy (dép. Ardennes)*. 3) *Exstant litterae primatibus et episcopis datae, Jaffé nr. 2214. 2215.*



ratori, spiritali filio eius, hereditario iure debetur<sup>a</sup>, et quod ad eum post mortem ipsius Hlotharii rediit, vel homines in eo degentes mortalium nullus invaderet, nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere; quod si quis praesumeret, non solum per suae auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine christianitatis privatus, cum diabolo [omnino<sup>b</sup>] locaretur. Et si quis de episcopis tam nefariae<sup>c</sup> temeritatis auctorem vel tacendo fugeret vel non resistendo consentiret, non iam pastoris, sed mercennarii [nomine<sup>d</sup>] se nosset<sup>e</sup> fore censendum; et quia iam non pertineret ad eum de ovibus, non pertineret consequenter de pastoralibus dignitatibus. Cum quibus episcopis et missus Hludowici imperatoris venit nomine Boderadus, de his nihilominus satagens. Karolus autem, absolutis apostolici et imperatoris missis, deceptus vanis suasionibus falsorum missorum, qui ei suggerebant, quod frater suus Hludowicus vicinus<sup>f</sup> morti foret, iter in Elisacias partes arripuit, ut Hugonem, Liutfridi filium, et Bernardum, Bernardi filium, obtineret; sicut et fecit. Indeque Aquis veniens<sup>g</sup>, ibidem nativitatem Domini celebravit anno Domini 870.

Ian. 22. Inde ad Rorici Nortmanni colloquium apud Noviomagum palatium perrexit; quem sibi foedere copulavit. Et in die festivitatis septuagesimae predictam concubinam suam Richildem desponsatam atque dotatam in coniugem sumpsit. Et insperate a fratre suo Hludowico Germaniae rege sibi nunciantes missos accepit, ut, si quantocius Aquis non egrederetur et regnum quondam Hlotharii penitus non desereret idemque regnum, sicut Hlotharii homines tempore obitus eius habebant, eis tenere pacifice non concederet, sine ulla retractione illum bello appeteret. Unde inter eos missis discurrentibus, eo usque causa perducta est, ut inter utrumque huiusmodi sacramenta fierent:

*Sic<sup>1</sup> promitto ex parte senioris mei illius<sup>h</sup>, quod senior meus ille<sup>i</sup> fratri suo illi<sup>k</sup> regi talem portionem de regno Hlotharii regis consentit habere, qualem aut ipsi iustiorum et plus aequaliorem<sup>l</sup> aut communes<sup>m</sup> fideles eorum inter se invenerint, nec eum in ipsa portione vel in regno quod antea tenuit per aliquam fraudem vel subreptionem decipiet aut forsconsiliabit<sup>n</sup>, si frater suus ille<sup>o</sup> eandem firmitatem et fidelitatem, quam ex parte senioris mei illi<sup>p</sup>*

a) debebatur A. b) deest 1. c) farię 1. d) deest 1. e) noret A. f) vicinissimus A, quod a Hincmaro scriptum puto. g) remeans A. h) Karoli A.; deest S. i) deest A.; Karolus rex S. k) Hludowico A. S. l) ita A.; et aequaliorem 1. m) communiter 1. n) forte consiliabit 1, ubi si deest; forcons. S. o) Hludovicus A. S. p) Karoli A.

1) Cf. Sirmondus, Capit. p. 380 (LL. I, p. 516), ubi formula utriusque sacramenti plenius exhibetur.



*habeo promissam, frater<sup>a</sup> suus ille seniori meo ex sua<sup>b</sup> parte quamdiu vixerit inviolabiliter servaverit<sup>c</sup>.*

Et hac infirma firmitate patrata, Karolus Aquis egrediens, uno<sup>d</sup> itinere Compendium venit, ibique<sup>e</sup> pascha <sup>Mart. 26.</sup> Domini celebravit. Indeque mense Maio ad Attiniacum palatium venit; ubi et duodecim missos fratris sui Hludowici pro divisione regni accepit; qui superciliose tam de sanitate corporis Hludowici quam de prosperitate — quia Resticium Winidum, sibi diutino tempore infestissimum, tam dolo quam bello captum<sup>f. 1</sup> —, elevati, minus debito sacramenta inter eos<sup>g</sup> facta duxere servanda. Quae divisio multifarie multisque modis hinc et illinc agitata et per diversos missos alterutrum directa ad hunc finem ex Karoli mandato pervenit, ut in illud regnum, quod inter eos secundum sacramenta praestita dividendum erat, pacifice convenirent, et sicut illi<sup>h</sup> cum consensu et unanimitate communium fidelium ipsorum invenirent, secundum sacramenta inter eos praestita illud regnum dividerent.

Interea, postquam de multis causis impetitus, praecipue autem de insubiectione regiae potestati<sup>i</sup> et inoboedientia erga suum archiepiscopum Hincmarus Laudunensis episcopus, ut se ab impetitis expediret, in synodo episcoporum decem provinciarum libellum propria manu subscriptum porrexit, haec continentem:

*Ego Hincmarus ecclesiae Laudunensis episcopus amodo et deinceps domno seniori meo Karolo regi fidelis<sup>k</sup> et oboediens ero secundum ministerium meum, sicut homo suo seniori et episcopus quilibet [per<sup>l</sup> rectum] suo regi fieri debet, ac privilegio Hincmari metropolitani provinciae Remorum ecclesiae secundum sacros canones et decreta sedis apostolicae [ex<sup>m</sup> sacris canonibus] promulgata pro scire et posse me oboedire velle profiteor. [Et<sup>n</sup> subscripsit].*

Karломannus etiam, regis Karoli filius et plurimorum monasteriorum pater, reputatus, quoniam insidias erga patrem suum infideliter moliebatur, abbatiis privatus, in civitate<sup>o</sup> Silvanectis est custodiae mancipatus.

Karolus<sup>p</sup> missos suos, Odonem scilicet Belgivagorum episcopum et Odonem atque<sup>q</sup> Arduinum comites, ad fratrem suum Hludovicum ad Franconofurt<sup>r</sup> dirigens, petiit, ut ad regnum Hlotharii dividendum simul convenirent; ipseque

a) frater suus ille *des. A.*; iste f. s. Hludowicus S. b) p. s. S. c) *ita A. S.*; servet 1. d) u. i. e corr. 1. e) ibique — venit *des. 1*; *suppl. P. ex A.* f) vicerat *add. A. ed.*, quod recepit P.; certe vocabulum (tenuit?) *desse videtur.* g) eo 1. h) eos A. i) potestatis A. k) sic f. A. l) p. r. *des. 1.* m) ex s. c. *des. 1.* n) Et s. *des. 1.* o) civitatem A. p) rex *add. A.* q) ac *Hard. A.* r) Franconofurt A.

1) Cf. *Ann. Fuld. h. a.*



Pontigonem petens, ibidem missos fratris sui accepit, nunciantes illi, ut ad Heristallium pergeret et frater suus Hludowicus ad Marsnam<sup>a</sup> venturus foret, et in meditullio eorundem locorum Kalendis Augusti colloquerentur, et unusquisque eorum 4 episcopos et 10 consiliarios et inter ministeriales et vassallos 30 tantummodo ad idem colloquium ducerent. Quo Hludowicus dum pergeret, ad Flamereshem<sup>b</sup> in pago Ribuario venit, et de quodam solario vetustate confecto sub lignis<sup>c</sup> [fractis<sup>d</sup> cum quibusdam suorum] cecidit, et aliquantulum naufragatus, in brevi convaluit. Indeque Aquisgrani pervenit. Et discurrentibus inter utroque fratres et reges missis<sup>e</sup>, tandem 5. Kalendas<sup>f</sup> Augusti ad locum colloqui convenerunt et hoc modo regnum<sup>g</sup> Hlotharii inter se diviserunt<sup>1</sup>.

*Et haec est divisio<sup>h</sup>, quam sibi Hludowicus accepit:*

Coloniam<sup>i</sup>, Treveris, Utrech<sup>k</sup>, Stratsburch<sup>l</sup>, Basulam<sup>m</sup>; abbatiam<sup>2</sup> Suestre<sup>n.3</sup>, Berch, Niu-monasterium<sup>4</sup>, Castellum<sup>5</sup>, Indam<sup>6</sup>, Sancti Maximini<sup>o.7</sup>, Ephterniacum<sup>8</sup>, Horream<sup>9</sup>, Sancti Gangulfi<sup>10</sup>, Faverniacum<sup>11</sup>, Polemniacum<sup>p.12</sup>, Luxovium<sup>13</sup>, Luteram<sup>14</sup>, Balnam<sup>q.15</sup>, Offonis-villam<sup>16</sup>, Meieni-monasterium<sup>r.17</sup>, Sancti Deodati<sup>s.18</sup>, Bodonis-monasterium<sup>19</sup>, Stivagium<sup>20</sup>, Romerici-montem<sup>21</sup>, Morbach<sup>22</sup>, Sancti Gregorii<sup>23</sup>, Mauri-monasterium<sup>24</sup>, Eboresheim<sup>t.25</sup>, Hoinowa<sup>u.26</sup>, Masonis-monasterium<sup>27</sup>, Homburch<sup>v.28</sup>, Sancti

a) Smarnam A.      b) Flamereshem A.      c) sub ligis A.      d) fractis c. q. s. des. 1; suppl. P. ex A.      e) missos A.      f) 6. Idus Augusti Divisio.      g) quondam add. A.      h) portio S.      i) Colonia 1<sup>a</sup>.      k) ita A. B.; Utreht 1.      l) Stratsburch 1; Stratsburch S.      m) Basula. abbatia, et ita deinceps Horrea etc. 1<sup>a</sup>. n) Sivestre 1; Silvestre 1<sup>a</sup>.      o) Maximi 1. 1<sup>a</sup>.      p) Pollemn. 1.      q) Palma 1<sup>a</sup>. r) Megeni m. B. S.      s) Theodati 1<sup>a</sup>.      t) Eboreshem 1.      u) ita em. P.; Homouua 1. 1<sup>a</sup>. A. B. S.      v) ita A. S.; Hombroch 1; Hombure B.

1) Cf. LL. I, p. 517. Pithoeus edidit ex cod. Bellovacensi (qui cum Aimoini continuatore plerumque convenit) et altero ipsius; cuius lectiones B. et Pi. signavi; illum etiam Sirmondus, Capit. p. 382, exprimere videtur. 2) Monasteria Mabillonius Annal. Bened. T. III. append. p. 678. designat. 3) Suestre vulgo Susteren ad Mosam, Berch prope Ruraemondam. P. 4) Forsan Nussa ad Rhenum supra Coloniam. P. Quod valde dubium videtur. 5) Kessel ad Mosam. 6) Cornelismünster prope Aquisgranum. 7) Prope Treveros. 8) Echternach. 9) Oeren; olim extra, iam intra muros Treverenses. 10) Mabillonio ignotum; Calmeto, 'Hist. de Lorraine I, p. 738, est abbatia St.-Gengoul in oppido Varenne dioec. Lingonensis; Dehaisnes: fortasse St.-Gangulfe-de-Klaustre in Alsatia. 11) Favorney in comitatu Burgundiae. 12) Poligny ibidem. 13) Luxeuil. 14) Lure in dioecesi Vesontiensis. 15) Baume-les-Dames. 16) Vellefaux ibidem, aut Offonville in dioecesi Tullensi (Calmet p. 738). 17) Moyen-moûtier in Vosago. 18) St.-Dié. 19) Bonmoûtier in Vosago olim, prope St.-Sauveur. 20) Etival ibidem. 21) Remiremont. 22-27) In Alsatia. 26) Olim in insula Rheni infra Argentoratum; i. e. Honaugia; sed lectio dubia est. 27) Maesmünster. 28) Odilienberg.



*Stapni<sup>a</sup> Strastburch<sup>b.1</sup>, Erenstein<sup>c.2</sup>, Sancti Ursi in Salodoro<sup>3</sup>, Grandivallem<sup>4</sup>, Altam-petram<sup>5</sup>, Iustinnam<sup>d.6</sup>, Vallem-Clusae<sup>e.7</sup>, Castellum Carnones<sup>8</sup>, Heribodesheim<sup>f.9</sup>, abbatiam de Aquis<sup>10</sup>, Hoenchirche<sup>g.11</sup>, Augustchirche<sup>12</sup>; comitatum Testebant<sup>h</sup>, Batua<sup>i</sup>, Hattuarías<sup>k</sup>, Masau<sup>l</sup> subterior de ista parte, item Masau<sup>l</sup> superior quod de ista<sup>m</sup> parte est, Liugas<sup>13</sup> quod de ista parte est, districtum Aquense, districtum Trectis<sup>14</sup>, in Ribuarías<sup>n</sup> comitatus quinque, Megenensium<sup>o.15</sup>, Bedagowa, Nitachowa<sup>p</sup>, Sarachowa<sup>q</sup> subterior, Blesitchowa<sup>r</sup>, Seline<sup>s.16</sup>, Albechowa<sup>t</sup>, Suentisium<sup>u.17</sup>, Calmontis<sup>18</sup>, Sarachowa<sup>q</sup> superior, Odornense<sup>19</sup>, quod Bernardus habuit<sup>v</sup>, Solocense<sup>20</sup>, Basiniacum<sup>21</sup>, Elischowe<sup>22</sup>, Warasch<sup>23</sup>, Scudingum<sup>w.24</sup>, Emaus<sup>25</sup>, Basalchowa<sup>x.26</sup>, in Elisatio comitatus 2, de Frisia duas partes de regno quod Hlotharius habuit. Super istam divisionem propter pacis et caritatis custodiam superaddimus<sup>y</sup> istam adiectionem: civitatem Mettis cum abbatia Sancti Petri et Sancti Martini et comitatu Moslensi<sup>27</sup>, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quam et vassallorum; de Arduenna, sicut flumen Urta<sup>28</sup> surgit inter Bislanc<sup>z</sup> et Tumbas ac decurrit in Mosam, et sicut*

a) ita 1. A.; Stephani B. S. et em. P. b) Stratburch 1. c) Erenstem 1; Herensteni (?) 1<sup>a</sup>; Erstein A. d) Lustinnam 1; Iustinnam B. S. e) Clusi A. f) Heribodeshem 1. g) Hoenchrche 1<sup>a</sup>; Hoenchirche A. h) comestestebant 1; com. Testebant A.; Trestebant B.; Testebant S. i) Bania B. k) Hatmarías A.; Hattuarías B. l) Masun corr. Masau 1; Maspau 1<sup>a</sup>. m) illa 1. n) Ripuarías 1. B. o) Mogen. A. p) Nitagowa 1<sup>a</sup>; Nitchowa B. q) Sarochowa 1<sup>a</sup>. r) Besitch. 1<sup>a</sup>. s) Selme S. t) Albethouua 1; Alzeth. vel Alheth. 1<sup>a</sup>; Albecheuua A. u) Suentiscum A. v) habet B. w) Scutingun 1<sup>a</sup>; Studingum A. x) Basalclouua 1. y) super addimus B. S. z) Bislanc A.

1) Argentorati. 2) Erstein in Alsacia. 3) Solothurn. 4) Granfelt, dioec. Basileensis. 5) Mouthier-Haut-Pierre (arr. Besançon). DEH. 6) Fortasse Jussan prope Besançon. DEH. 7) Vacluse, dioec. Bisuntinae. 8) Chateau-Chálon in Burgundia. 9) Mabillonio et Bouqueto incognitum, fortasse Herbitzheim in occidentali Vosagi parte, olim in comitatu Saarverd. P. 10) Basilica regia Aquisgranensis. 11) 12) Incognita. 13) Pagus Leodiensis. 14) Maastricht. 15) Meien-gau, in quo Andernach. 16) 'Le Saulnois' ad fluvium Seille, qui prope Mettas Mosellam infuit. 17) 18) De his vide supra ad a. 839, p. 21. 19) In Austrasia, ad fluvium Ornam, quae inter Theodonis-villam et Mettas Mosellam infuit. 20) 'Le Soulossois' e septentrione pagi Portisiorum inde a fontibus Mosae et fluvii Mouzon. 21) 'Le Bassigny' ad Matronae fontes, in quo Chaumont. 22) Equidem pro Alsegaudia (Elzgau) ad meridiem Sundgoviae Alsaticae habeo. P. 23) 24) Vide supra a. 839, p. 21. 25) Supra l. l. Amaus, quae lectio hoc loco confirmatur. 26) Pagus Baslensis. 27) Ad utramque Mosellae ripam inde a Mettis usque ad Augustam Treverorum. 28) Ourt fluvius, contra Leodium Mosam influens.



recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes<sup>a</sup> nostri missi rectius invenerint, excepto quod de Condrusto<sup>b.1</sup> est ad partem orientis trans Urtam, et abbatias Prumiam et Stabolau cum<sup>c</sup> omnibus villis dominicatis et vassallorum.

Et<sup>d</sup> haec est divisio<sup>e</sup> quam Karolus de eodem regno sibi accepit: Lugdunum, Vesontium, Viennam<sup>f</sup>, Tungris, Tullum, Viridunum, Cameracum, Vivarias<sup>2</sup>, Uceciam<sup>g.3</sup>; Montemfalconis<sup>4</sup>, Sancti Michahelis<sup>5</sup>, Gildini<sup>h</sup> monasterium<sup>6</sup>, Sanctae<sup>i</sup> Mariae in Bisintiono, Sancti Martini in eodem loco, Sancti Augustini<sup>7</sup>, Sancti Marcelli<sup>8</sup>, Sancti Laurentii Leudensi<sup>9</sup>, Sennonem<sup>10</sup>, abbatiam Niellam<sup>k.11</sup>, Molburium<sup>l.12</sup>, Laubias<sup>m.13</sup>, Sancti Gaugerici<sup>n.14</sup>, Sancti Salvii<sup>o.15</sup>, Crispinno<sup>16</sup>, Fossas<sup>17</sup>, Marilias<sup>p.18</sup>, Hunulfurt<sup>q.19</sup>, Sancti Servatii<sup>r.20</sup>, Maalinas<sup>s.21</sup>, Ledi<sup>22</sup>, Sunniacum<sup>t.23</sup>, Antonium<sup>u.24</sup>, Condatum<sup>25</sup>, Merrebecchi<sup>v.26</sup>, Tichivinni<sup>w.27</sup>, Luttosa<sup>x.28</sup>, Calmontis<sup>29</sup>, Sanctae<sup>y</sup> Mariae in Deonant<sup>z.30</sup>, Echa<sup>31</sup>, Andana<sup>32</sup>, Wasloi<sup>33</sup>, Altum-montem<sup>34</sup>; comitatum<sup>a</sup> Texandrum, in Brachanto<sup>b</sup> comitatus 4, Cameracensem<sup>c</sup>, Hainoum<sup>d</sup>, Lomensen, in Hasbanio<sup>e</sup> comitatus 4, Masau superior de<sup>f</sup> ista parte Mosae, Masau subterior quod<sup>g</sup> de ista parte est, Liugas quod de ista parte est<sup>h</sup> Mosae et pertinet ad Veosatum<sup>i.35</sup>,

a) m. n. A.; c. fideles n. r. B. S. — invenerunt B. b) Condrustio A; Condrusto B. S. c) et 1. d) deest Pi. e) portio S. f) Vienna 1. g) Uccia 1<sup>a</sup>; Uzezia A; Ucetia Pi. S. h) ita 1<sup>a</sup>. A; Gillini inter duas 1 una littera erasa 1; Culdini Pi. S. i) Sancta Maria A. Pi. k) Mellam Pi. S. l) Molbarium Pi.; Melbarium S. m) Laubinas 1<sup>a</sup>. n) Gauderici Pi. o) Salvi 1<sup>a</sup>. p) Marellas 1<sup>a</sup>. q) Hunulfurt 1<sup>a</sup>; Hunulfurt A; Hunulfurt Pi. S. r) Servasii 1; Gervasii Pi. S. s) Malinas A. t) Sunniacum Pi. S. u) Anconium 1<sup>a</sup>. v) Merrebecchi corr. Merrebecchi 1; Mefrebecchi 1<sup>a</sup>; Merrelecchi A. w) ita A. Pi. S.; Tidiinni 1; Tidiinni 1<sup>a</sup>. x) Luttos 1<sup>a</sup>; Luitosa Pi. S. y) Sancta Maria A. Pi. S. z) Deomant 1. 1<sup>a</sup>. a) comitatus 1. b) Brachanto A. Pi. S. c) Camatensi 1; Cametensi 1<sup>a</sup>; Camaracensium Pi.; Cameracensium S. d) Hainonem A.; Hanioum Pi. S. e) Asbanio A. f) de ista parte — subterior des. Pi. g) quantum S.; subt. de illa p. 1; s. de illa p. est 1<sup>a</sup>. h) M. est Pi. S. i) Velsatum Pi. S.

1) Vide supra a. 839, p. 21. 2) Viviers. 3) Uzès. 4) Abbatia Montfalcon vel Montfaucon, quatuor leugis a Mosa et ab urbe Viriduno distans. 5) St.-Mihiel. 6) Calmoustier. 7) Vulgo S. Eugendi, iam St.-Claude. 8) Prope Cabillonum. 9) S. Laurentii monasterium Leodii. 10) Senone in Vosago (dubitavit P.). 11) Nivelles. 12) Maubeuge. 13) Lobbes. 14) Prope Cameracum. 15) St.-Saulve. 16) Crespin. 17) Fosses. 18) Marolles. 19) Honnecourt prope Cameracum. 20) Ecclesia Traiecti ad Mosam. 21) Mecheln. 22) Lierre ad Nethe fl. 23) Soigny. 24) Antoing ad Scaldim prope Tornacum. 25) Condé. 26) Meerbech non longe a Ninovia Flandriae oppido. 27) Dickelvenne, prope Gerardi-montem in Hannonia. 28) Leuze in Hannonia. 29) Calmont in dioecesi Leodiensi. 30) Dinant. 31) Alden-Eyck ad Mosam prope Maseium, quod contra Suestram iacet. 32) Andenne ad Mosam. 33) Walers in Fania sylva (la Faigne) prope Melbodium. 34) Hautmont in Hannonia. 35) Viset inter Traiectum et Leodium.



Scarponinse<sup>1</sup>, Viridunense<sup>2</sup>, Dulmense<sup>2</sup>, Arlon<sup>b. 3</sup>, Wavrense<sup>4</sup> comitatus 2, Mosminse<sup>5</sup>, Castricium<sup>6</sup>, Condrust<sup>7</sup>, de Arduenna<sup>c</sup> sicut flumen Urta surgit inter Bislanc<sup>d</sup> et Tumbas<sup>e</sup> ac decurrit ex hac parte in Mosam et sicut recta via ex<sup>f</sup> hac parte occidentis pergit in Bedensi<sup>g</sup> secundum quod missi nostri rectius invenerint; Tullense, aliud Odornense<sup>8</sup>, quod Tetmarus habuit, Barrense, Portense, Salmoringum<sup>9</sup>, Lugdunense, Viennense<sup>h</sup>, Vivarias, Ucecium<sup>i</sup>, de Frisia tertiam partem.

Et in crastina, scilicet 4. Idus<sup>k</sup> eiusdem mensis, simul convenerunt, et valefacientes se mutuo, ab invicem disceserunt, Hludowicus videlicet Aquis rediens, et Karolus Liptinis<sup>10</sup> uxorem suam obviam sibi venire iubens, partem ipsius regni quam accepit, sicut placuit sibi, divisit. Indeque per monasterium Sancti Quintini ad Silvacum et inde per Carisiacum Compendium veniens, autumnalem venationem in Cotiae saltu exercuit.

Hludowicus laesionem contusionis, quam ex supradicto casu de solario perpressus fuerat, minus necessario curari a medicis sustinens, computrescentem<sup>m</sup> carnem ab eisdem medicis secari fecit. Unde et longiori quam speraverat tempore in Aquis decubuit; ubi et pene desperatus, vix mortem evasit. Ibique apostolici Adriani missos, Iohannem et Petrum cardinales<sup>n</sup> episcopos, itemque Iohannem ecclesiae Romanae presbiterum, sed et missos Hludowici imperatoris, Wibodum<sup>o</sup> scilicet episcopum<sup>11</sup> et Bernardum comitem, suscepit, sibi denunciantes, ut de regno Hlotharii, nepotis sui, quod fratri suo Hludowico imperatori debebatur, non praesumeret<sup>p</sup>. Et in brevi absolutos ad fratrem suum Karolum eos direxit, et ipse mox, ut aliquantulum convaluit, ad

a) Viriduninse. Dulminse *Pi. S.* b) Aelon *A.* c) Aruena 1<sup>a</sup>. d) Bislanc *A.*  
e) Tubas 1<sup>a</sup>. f) *e corr.* 1. g) Hodensi *A.* h) Vennense 1<sup>a</sup>. i) Ucecia  
*corr.*, ut videtur, Ucecium 1; Uceciaim 1<sup>a</sup>; Ucetium *A. Pi.*; Ucetiam *S.* k) *id. e.* 1.  
l) q. insimul c. *A.* m) computrescentem 1. n) Iohannem et Petrum itemque  
Iohannem episcopos et Petrum cardinalem ecclesiae Romanae presbyterum *A.*  
o) Wibodum 1; Wilbodum 1<sup>a</sup>. p) se p. *A.*

1) Ad fluvium Chiers, nomen a castro Scarponna, hodie Scarponne vel Charpeigne (dép. Meurthe), sortitus. *P.* 2) 'Le Dormois' in dioecesi Remensi. 3) Ab occidente urbis Luxemburg. 4) 'Le pays de Woevre', ad ripas Alisontiae, Ornae et Cari fluminum (Eltz, Orne, Chiers).  
5) *Qui a.* 862, p. 61. Mosomagensis dicitur. 6) *V. a.* 843, p. 30.  
7) *V. a.* 839, p. 21. 8) *V. a.* 837, p. 14. 9) Pagus Salmoracensis dioec. Gratianopolitanae, ubi villa Sermorens; Monod p. 253.  
10) Lestinnes. 11) Parmensem; qui non erat legatus Ludovici imperatoris, sed Hadriani papae, ut constat ex litteris eiusdem papae ad Carolum regem, ad episcopos eius regni et ad Ludovicum Germaniae regem, 5. Kal. Iul., indict. 3. datis (Jaffé nr. 2121 sqq.). BOUQ.



Reghinisburch<sup>a</sup> pergens, Restitium Winidorum regulum, a Karlomanno per dolum nepotis ipsius Restitii<sup>1</sup> captum et aliquandiu in custodia detentum, post iudicium mortis excaecari et in monasterium mitti praecepit, suosque filios Hludowicum et Karolum ad se venire praecepit. Qui sentientes, satagente matre inclinatiorem esse voluntatem patris erga Karlomannum quam erga se, ad illum venire detrectaverunt. Hludowicus ad placitum suum quod in Franconofurth<sup>b</sup> condixerat ante quadragesimae initium venit, et satagentibus legatis inter eum et filios suos utrimque factae sunt firmitates, ut usque ad futurum Maium mensem et ipsi ex parte patris securi manere possent, et illi vastationem regni quam incoeperant dimitterent et pacifice usque ad idem placitum degerent; et hoc ita patrato negotio, Hludowicus ad Reghinisburch<sup>a</sup> rediit.

Oct. 9. Karolus, peracta venatione autumnali, ad monasterium Sancti Dyonisii, festivitatem ipsius sancti celebraturus, perrexit. Ubi ipsa die inter missarum sollempnia praefatos apostolici missos cum epistolis ad se et ad episcopos regni sui directos terribiliter sibi regnum quondam Hlotharii, quod fratri suo imperatori debebatur, interdicientibus<sup>2</sup>, moleste suscepit. Et deprecantibus eisdem missis cum aliquantis fidelibus suis, Karlomannum filium a custodia ex Silvanectis civitate absolvit et secum manere praecepit; ipsos autem missos domni apostolici et imperatoris usque Remis deduci fecit. Et undique plurimos fidelium suorum illic convenire faciens et per octo dies ibidem immorans, eosdem missos absolvit; postea legatos suos, Ansegisilum<sup>c,3</sup> videlicet presbiterum monasterii Sancti Michahelis abbatem et Hlotharium<sup>d</sup> laicum,<sup>e</sup> cum epistolis ad dominum apostolicum, sed et pannum ad altare sancti Petri de vestimentis suis aureis compositum cum duabus coronis aureis et gemmis ornatis misit, et ipse usque ad Lugdunum pervenit. Unde Karlomannus noctu a

a) Reghinisburch A.    b) Franconofurth 1; Frangenofurt A.    c) Ansegisum A.  
d) Etharium A; Lietharz Chron. de St. Denys; fort. Letharium.    e) Romam add. A.

1) Zuentebaldi.    2) Jaffé nr. 2222—2224.    3) Haud alius est ab Ansegiso abbate, qui anno sequente subrogatus est Egili seu Egiloni archiepiscopo Senonensi, cuius obitus hoc anno 871. contigit. Quodnam fuerit illud Sancti Michaelis monasterium, cuius abbas erat Ansegisus, non levis est controversia, ut notat Mabillonius lib. 37. annal. Bened. num. 11. Sunt qui existimant, hanc esse sancti Michaelis apud Bellocacos ecclesiam, quae ex monasterio collegiata evaserit. At contra opponunt alii, nullum eius ecclesiae monumentum reperiri ante saeculum duodecesimum. In decreto cleri et populi Senonensis ad provinciales episcopos dicitur Ansegisus presbyter Remorum dioeceseos, ecclesiae autem Belvacensium, atque abbas monasterii Sancti Michaelis. BOUQ.



patre aufugiens, in Belgicam provinciam venit, et congregatis secum plurimis<sup>a</sup> satellitibus ac filiis Belial, tantam crudelitatem et devastationem secundum operationem Satanae exercuit, ut credi non possit nisi ab ipsis qui eandem depopulationem viderunt atque sustinuerunt. Quod Karolus nimium egre tulit, non tamen iter suum deseruit, sed Viennam, in qua Berta, uxor Gerardi, erat, obsessurus quantocius adiit<sup>1</sup>; nam Gerardus in altero morabatur castello. In qua obsidione circumiacentes regiones nimis fuere vastatae. Karolus autem ingeniose<sup>b</sup> cogitans, magnam partem eorum qui in Vienna erant sibi conciliavit. Quod sentiens Berta, post<sup>c</sup> Gerardum direxit. Qui veniens, Karolo civitatem dedit. In qua idem rex vigilia nativitatis Domini intrans, nativitatem Domini celebravit

anno Domini 871.

Karolus, Vienna<sup>d</sup> in potestate sua<sup>e</sup> suscepta, a Gerardo sibi obsides dari pro aliis castellis suis missis tradendis coegit, et tribus navibus Gerardo datis, per Rhodanum cum sua uxore Berta et mobilibus suis a Vienna permisit abscedere, et ipsam Viennam Bosoni, fratri uxoris suae, commisit, ipseque per Autisiodorum<sup>f</sup> et Senones ad monasterium Sancti Dyonisii quantocius prout potuit venire maturavit. Quod audiens Karlomannus, cum suis complicitibus ad Mosomum perrexit et ipsum castellum cum villis circumiacentibus devastavit. Unde 4 missos suos fecte ad patrem suum direxit, mandans, quod sine honoribus ad illum, fidei suae credens, venire et Deo et<sup>g</sup> illi de quibus commiserat satisfacere vellet, tantum ut de his qui cum eo erant misericorditer tractaret, qualiter salvi esse valerent; non tamen a male coepto vel aliquantulum destitit. Karolus autem rex ad eundem filium suum Karlomannum cum duobus illius missis — nam alios duos secum retinuit — Gauzlinum abbatem<sup>2</sup> et Balduvinum<sup>h</sup> comitem, ipsius Karlomanni sororium, misit, mandans illi convenientiam, qua ad eum secure posset venire, si vellet. Ipse autem Karlomannus dolo se simulans ad patrem suum venturum, alios missos impossibilia quaerentes ad eum direxit, et ipse in partes Tullenses perrexit. Karolus autem iudicium quaerens de talibus, qui suum filium, scilicet diaconum<sup>i</sup> et

a) congregatis — plurimos satellites *A.* b) ingeniose inter eos, qui in Vienna erant illam custodientes, dissensionem mittens, magnam partem eorum sibi conciliavit *A.* c) pro Gerardo *A.* d) Viennam — susceptam *A.* e) *e corr.* 1. f) Autissiodorum *A.* g) *deest* 1. h) Balduinum *A.* i) diaconem *A.*

1) Cf. *Flodoardi Hist. Rem.* III, 18, p. 508; 27, p. 550, et quae de Gerardo disseruit Longnon, 'Revue hist.' VIII, p. 241 sqq. 2) monasterii Sancti Germani addit *A.*; in cuius codice tres vel quatuor verba erasa sunt.



ecclesiae sanctae ministrum a se Domino traditum<sup>1</sup>, furati fuerunt et tanta ac talia flagitia atque facinora et depopulationes in regno suo fecerunt; post iudicium vero<sup>a</sup> mortis omnia quae illorum erant infiscari praecepit, et ordinatis scaris quae eundem Karlomannum cum suis complicitibus de regno propellerent, iudicium episcopale de illis expetiit. Et  
 1. Cor. 5, 11. quoniam apostolus praecepit cum huiusmodi<sup>b</sup> nec cibum sumere, eosdem episcopi, in quorum parrochiis tanta mala commiserant, secundum sacros canones communione privarunt, sicut in epistolis continetur, quas inde iuxta sacras regulas ad alios episcopos transmiserunt. De Karlomanno autem, quia dioceseos Sennensis erat diaconus, et post praestita per duas vices sacramenta, de<sup>a</sup> quibus periurus erat, sicut pater eius publica denuntiatione omnibus qui adfuerunt intimare curavit, et tantam rebellionem et infidelitatem contra illum tantaque flagitia in regno suo commiserat, iudicium episcoporum ipsius provinciae<sup>c</sup> expetendum<sup>d</sup> decrevit<sup>2</sup>. Deinde<sup>e</sup> Karolus ad monasterium Sancti Dyonisii imminente quadragesimali tempore, usque ad sanctum pascha ibidem  
 Apr. 15. immoraturus, regreditur<sup>f</sup>; ubi et pascha Domini celebravit.

Karlomannus, insequente se a patre post eum scara directa, Iurum transiit, et sicut in Belgicis et Gallicis regionibus egerat, mala coepta exequi non omisit.

Hincmarus Laudunensis nomine tantum episcopus, homo insolentiae singularis, contra euangelicam veritatem et apostolicam atque aecclesiasticam auctoritatem contra regem rebellans, et in vicinos ac sibi commissos tam clericos quam laicos sine ulla reverentia saeviens, et metropolitano suo se inde regulariter commonenti oboedire contempnens, adeo regem<sup>g</sup> suum et archiepiscopum suum atque episcopos totius regni erga se commovit, ut rex synodum in mense Augusto apud Duciacum condiceret, quatenus de illius pravitatibus regulare ibi ageretur iudicium. Ipse autem rex Karolus, petentibus nepotibus suis, Hludowici fratris sui filiis Hludowico et Karolo, per Viridunum obviam eis, locuturus cum illis, perrexit, et inde ad synodum in Duciaco rediit.

Interea Hugo abba monasterii Sancti Martini et Gozfridus cum ceteris Transsequanans<sup>h</sup> incaute adeuntes insulam Ligeris, in qua Nortmanni firmitatem suam habebant, cum maximo dampno et multorum occisione vix evaserunt.

a) deest A.    b) huiusmodi corr. huiusmodi 1.    c) vel 'pro suis' superscr. A.  
 d) ita A.; excedendum 1.    e) e corr. 1.    f) hic in Aimoini continuatione totus annus excidit, ita ut nonnisi anni 872. verbis et sabbato ante palmas pergat.    g) adeo ad regem 1.    h) Transsequanis h. l. 1?

1) Karlomannum. Cf. supra a. 854; Regin. a. 870.    2) Cf. Flodoardi Hist. Rem. III, 18, p. 508; 26, p. 543 sqq.



Hincmarus vero tandem cum multa superbia in synodum venit. In qua, a rege Karolo secundum regulas ecclesiasticas porrecta petitione, de causis certissimis regulariter accusatus atque convictus, depositionis iudicium regulare suscepit, sicut in gestis continetur ipsius synodi<sup>1</sup>, quos eadem synodus per Actardum venerabilem episcopum<sup>2</sup>, qui eidem synodo interfuit, ad apostolicam sedem direxit.

Praedicti quoque nepotes regis in Duciacum venerunt ad eum, petentes, ut eos cum patre suo pacificaret. Sed et missi Hludowici fratris sui ad eum venerunt, postulantes, ut obviam illi secus Treiectum municipium<sup>3</sup> ad colloquium illius veniret; sicut et fecit, ducens secum missos nepotum suorum, qui ea quae petierunt apud patrem suum ex illorum voce narrarent. Ubi etiam missos Karolomanni filii sui, interveniente Hludowico fratre suo, Karolus rex audivit et sicut antea sub conditione suae correctionis eum redire ad se invitavit; quae invitatio nihil profecit. In quo aliquandiu colloquio Hludowicus et Karolus immorantes, aut parum aut nihil profecerunt. Sicque ab invicem in capite mensis Septembris separati, quisque ad sua repedare curavit, Hludowicus scilicet ad Rainisburch perrexit, quia maximum dampnum a nepote Restitii<sup>4</sup>, qui principatum Winidorum post eum susceperat, habuit, in tantum ut markiones cum plurima turba suorum perdidit et terram quam in praeteritis annis obtinuerat perniciose amiserit. Karolus autem per Liptinas versus Audriacam villam venandi gratia repedavit. In quo itinere missos ab Italia plurimorum suscepit, qui eum invitabant Italiam ire, quoniam nepos suus Hludowicus imperator in Benevento civitate cum uxore et filia a Beneventanis occisus foret. Qui per Rhenum civitatem pergens, usque Vesontionem urbem pervenit. Karolomannus vero audiens patrem suum post se ire, suadentibus suis, ad illum cum ficta humilitate<sup>a</sup> pervenit. Quem pater quidem recepit et secum manere praecepit, usque dum ad suos fideles in Belgicam veniret et eorum consilio inveniret, qualiter eum honorare debuisset. Sed et Hludowicus rex Germaniae, audiens praefatum nepotem suum Hludowicum imperatorem mortuum, filium suum Karolum in terram quam ultra Iurum habebat direxit, ut quos posset sacramento ad eius fidelitatem constringeret; sicut et fecit.

Dum autem Karolus in Vesontio moraretur, missi sui,

a) humitate corr. humilitate l.

1) *Mansi XVI, p. 569 sqq.*      2) *Namnetensem, iam et Turonensem.*  
3) *Maastricht.*      4) *Zuentebaldo.*



quos in Italiam praemiserat nunciaverunt ei, quod ipse imperator Hludowicus viveret et sanus corpore esset. Nam Adalgisus cum aliis Beneventanis adversus ipsum imperatorem conspiravit, quoniam idem imperator factione uxoris suae eum in perpetuum exilium deducere disponebat. Et cum idem Adalgisus noctu super ipsum imperatorem irruere disposuisset, isdem cum uxore sua et cum eis quos secum habebat quandam turrem altam valde munitissimam ascendit et ibi per tres dies cum suis se defendit<sup>1</sup>. Tandem episcopus ipsius civitatis obtinuit apud Beneventanos, ut, acceptis ab eodem imperatore sacramentis, illum vivum et sanum abscedere permetterent. Iuravit autem ipse et uxor eius et filia eius ac omnes sui quos secum habebat, quia numquam vel nusquam pro eadem causa ullam vindictam aut per se aut per quemcumque de ipsa causa erga se perpetrata requireret<sup>a</sup> et numquam cum hoste in Beneventanam terram intraret. Sicque egressus, per Spolegium<sup>a</sup> versus Ravennam iter arripuit, mandans apostolico Adriano, ut obviam illi in transitu itineris sui veniret, quatenus de ipso sacramento illum et suos absolveret. Interea Landbertus<sup>2</sup> cum alio Landberto, sentientes sibi reputari ab imperatore de his quae in eum facta fuerant, ab eo discesserunt et in partes Beneventi, quia praefatus Adalgisus eis coniunctus erat, perrexerunt. Quos idem imperator insequens, uxorem suam Ravennam, ubi placitum suum tenere disposuerat, direxit, et primores regni<sup>b</sup> Italici ad eam venire mandavit, ut de his quae praeceperat tractarent, donec ipse ab expeditione illa rediret. Sed quia Landbertos<sup>c</sup>, quos insecutus fuerat, consequi non poterat, reverti imperator quo disposuerat studuit.

Karolus autem, audiens occasionem qua putabatur Hludowicus imperator occisus et quia vivus erat, a Vesontio recto itinere per Pontigonem et inde per Attiniacum<sup>d</sup> usque ad Silvacum venit. Quo placitum cum suis consiliariis habuit et eorum consilio Karlomannum iterum Silvanectis custodiae mancipavit et eius complices sacramento suae fidelitatis per singulos comitatus constringi praecepit sicque, accipientibus senioratum quemcumque vellent de suis fidelibus et in pace vivere volentibus, in regno suo habitare permisit. Deinde a Silvaco Compendium venit ibique nativitatem Domini celebravit

a) e corr. 1.    b) e ras. 1.    c) Lanbertus corr. Landbertus 1.    d) Attiacum 1.

1) Mense Augusto; de qua re rerum Italicarum huius temporis scriptores, Erchempertus, Johannes, Andreas, alii fusius egerunt.    2) Spoletanus; cf. Erchempert. c. 35, p. 248.



anno Domini 872.

Compendio denique movens, 13. Kalendas Februarii iter arripuit ad Monasterium<sup>1</sup>, locuturus cum Rorico et Rodulfo Nortmannis, rediturus in initio quadragesimae iterum ad Compendium; et<sup>a</sup> sabbato ante palmas ad monasterium<sup>2</sup> Mart. 22. Sancti Dyonisii veniens, ibi pascha Domini celebravit. Post<sup>30</sup> pascha obviam Ingelbergae<sup>b</sup> imperatrici, sicut ei per suos missos mandaverat, ad Sanctum Mauritium perrexit<sup>c</sup>; sed non<sup>d</sup> incerto comperiens nuncio, eandem Ingelbergam<sup>e</sup> apud Trientum cum Hludowico rege Germaniae in mense Maio locuturam, a condicto deflexit itinere et ad Silvacum venit. Ibique Adalardus ex parte Hludowici fratris sui veniens, petiit, ut cum eodem fratre suo Hludowico locuturus secus Treiectum veniret, cum idem Hludowicus ad Reghinisburg<sup>f</sup>, post emissam hostem cum Karlomanno filio suo adversus Winidos, Aquis rediret. Karolus autem filio suo Hludowico Bosonem<sup>g</sup>, fratrem uxoris eius, camerarium et ostiariorum magistrum constituens, cui et honores Gerardi comitis Bituricensis<sup>2</sup> dedit, cum Bernardo<sup>3</sup> itemque alio<sup>h</sup> Bernardo markione in Aquitaniam misit et dispositionem ipsius regni ei commisit. Bernardo autem Tolosae comiti post praestita sacramenta Carcasonem et Rhedas<sup>4</sup> concedens, ad Tholosam<sup>i</sup> remisit.

Praedictus autem Hludowicus rex Germaniae filios suos Hludowicum et Karolum ad se vocans, ut eos cum Karlomanno pacificaret, dolose illis<sup>k</sup> iurari fecit; sed et idem filii sui et homines eorum dolose nihilominus Hludowico sacramenta praebuerunt. Et volens idem Hludowicus pater, ut ipsi filii sui cum fratre illorum Karlomanno adversus Winidos pergerent, obtinere non potuit. Unde hostem quam magnam<sup>1</sup> potuit cum Karlomanno direxit, et ipse, ut praedictum est, apud Trientum cum Ingelberga loquens, partem regni Hlotharii quam contra Karolum accepit, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Hlotharii, qui se illi commendaverunt, clam reddidit. Unde utrimque sacramenta prioribus sacramentis quae cum fratre suo pepigerat diversa et adversa

a) *pergit A.* b) *Engilb. A., semper.* c) *perrecturus A.* d) *deest 1.* e) *Ingelbergam corr. Ingelbergam 1.* f) *ita A.; Renisburg 1.* g) *Bensonem A.* h) *deest A.* i) *ita h. l. 1; Tol. A.* k) *eis A.* l) *ita A.; magnum 1.*

1) *Monasterium Leodicense Sancti Landberti intelligit Mabillonius libro 37. annalium Benedictinorum num. 32. BOUQ. Certe post hoc anno Trejecti (Maastricht) cum ducibus illis convenit.* 2) *De quo cf. a. 868, p. 94.* 3) *Cf. a. 868, p. 97.* 4) *Le Rasez, inter Carcassonam et Narbonam. P.*



inter eos sunt facta. Quibus patrat, Ingelberga missum suum ad Karolum direxit, mandans illi sicut et prius, ut ad Sanctum Mauricium illi occurreret. Karolus vero, compertis his quae inter eam et fratrem suum acta fuerunt, noluit illuc ire, sed nuncios<sup>a</sup> suos ad eam direxit; qui nihil certi ab ea ei renunciaverunt.

Adrianus papa, secundum quod Nicolaus<sup>b</sup>, decessor eius, disposuerat, missos suos, Donatum scilicet Ostiensem episcopum et Stephanum Nepessinum<sup>c</sup> episcopum et Marinum<sup>d</sup> diaconum sanctae Romanae ecclesiae, ad Basilium imperatorem et ad filios eius Constantinum et Leonem augustos Constantinopolim direxit, cum quibus et Anastasius bibliothecarius Romanae sedis, utriusque linguae, Graecae scilicet et Latinae, peritus, perrexit. Et synodo congregata, quam octavam universalem synodum<sup>e</sup> illuc convenientes appellaverunt, exortum scisma de Ignatii depositione et Focii ordinatione sedaverunt, Focium anathematizantes et Ignatium restituentes. In qua synodo de imaginibus adorandis aliter<sup>f</sup> quam orthodoxi doctores antea diffinierant [statuerunt<sup>g</sup>] et<sup>h</sup> pro favore Romani pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, et<sup>i</sup> quaedam contra antiquos canones, sed et contra suam ipsam synodum constituerunt, sicut qui eandem synodum legerit<sup>l</sup> patenter inveniet.

Mai 18.

Hludowicus autem imperator vigilia pentecosten Romam<sup>k</sup> venit, et in crastinum<sup>l</sup> coronatus ab Adriano papa, post celebrata missarum sollempnia una cum eo ad Lateranense palatium cum pompa equitando coronatus perrexit; et hoste collecta<sup>m</sup>, Roma iterum in partes Beneventanas perrexit. Et quia primores Italiae Ingelbergam propter suam insolentiam habentes exosam, in loco illius filiam Winigisi imperatori<sup>n</sup> substituentes, obtinuerunt apud eundem imperatorem, ut missum suum ad Ingelbergam mitteret, quatenus in Italiam<sup>o</sup> degeret et post illum non pergeret, sed eum in Italia<sup>p</sup> reversurum exspectaret. Ipsa autem non obaudiens illius mandatum, post eum ire maturavit, et Wibodum episcopum ad Karolum quasi amicitiae gratia misit, putans, nescire Karolum quae inter illam et Hludowicum regem Germaniae pacta<sup>q</sup> fuere. Wibodus autem ad pontem Liadi<sup>2</sup> ad Karolum venit; nam illuc pro quibusdam in Burgundia causis componendis perrexerat. Ubi ei nunciatur ab homi-

a) missos A. b) Nicholas A. c) Nepessinum 1. d) Martinum A. e) deest A. f) e ras. A. cod. g) deest 1. h) et [quedam add.] — inveniet eras. A. cod. i) sed et c. A. k) apud S. Petrum add. A. l) crastina A. m) h. collecto A. n) imperatoris 1. o) Italia A. p) Italiam A. q) facta 1.

1) Mansi XVI, p. 398 sqq. 2) De cujus situ non constat; pont Liart, Cron. de St. Denis.



nibus Bernardi, filii Bernardi, [Bernardus<sup>a</sup>] qui Vitellus cognominabatur<sup>1</sup> occisus; et eius honores praedicto Bernardo sunt dati. Karolus autem ad<sup>b</sup> Burgundiam ad Gondulfi-villam, placitum ibi antea condictum<sup>c</sup> habiturus, Kalendis Septembris revertitur. Ubi aliquantisper immoratus, et quae sibi visa fuere dispositis<sup>2</sup>, venandi gratia ad Arduennam petiit. Et Octobrio mense navigio per Mosam usque Treiectum veniens, cum Rorico et Rodulfo<sup>d</sup> Nortmannis, qui obviam ei navigio venerant, locutus, Roricum sibi fidelem benigne suscepit et Rodulfum infidelia machinantem et superflua expetentem inanem dimisit et contra ipsius insidias fideles suos ad munitionem paravit. Indeque per Attiniacum itinere equestri revertens, nativitatem Domini in monasterio Sancti Medardi celebravit.

Adrianus papa moritur<sup>3</sup>, et Iohannes archidiaconus Romanae ecclesiae 19. Kalendas Ianuarii in locum illius substituitur.

Anno Domini 873.

Quia ergo multi erant in regno Karoli<sup>e</sup>, qui exspectabant, ut per Karlomannum<sup>f</sup> adhuc rediviva mala agerentur, in sancta Dei ecclesia<sup>g</sup> et in aliis regnis, de quibus regio ministerio<sup>h</sup>, cum consilio fidelium suorum, secundum morem praedecessorum ac progenitorum<sup>i</sup> suorum<sup>k</sup>, leges paci<sup>l</sup> ecclesiae et regni soliditati congruas promulgavit et ab omnibus observari decrevit. Iubet ergo convocari episcopos regni sui apud Silvanectis<sup>4</sup> civitatem, in qua idem Karlo-mannus morabatur, quatenus secundum sacros canones, a quibus nulla, ut Leo dicit<sup>5</sup>, aut neglegentia aut praesumptione licet eis discedere, episcopale ministerium de illo exsequerentur; sicuti et fecerunt, deponentes illum secundum sacras regulas ab omni gradu ecclesiastico, laicali sibi communionem servata. Quod cum factum fuisset, antiquus et callidus adversarius illum<sup>m</sup> et suos complices ad argumentum aliud excitavit, videlicet quia liberius ad nomen et potentiam regiam conscendere posset, quia ordinem ecclesiasticum non haberet et, quia<sup>n</sup> episcoporum iudicio ecclesiasticum gradum amisit, etiam tonsuram ecclesiasticam

a) *deest* 1.    b) a Burgundia *A.*; *cf. supra* p. 87, n. c; p. 90, n. c.    c) condictum 1.    d) Rhodulfo *A.*    e) et in aliis regnis *add. A.*    f) filium eius *add. A.*    g) in regno eius *add. A.*    h) *vocabulum deesse videtur, fungebatur vel simile.*    i) progenitum 1.    k) regum *add. A.*    l) pacis 1.    m) et i. *A.*    n) qui *A.*

1) *Comes Augustidunensis; Monod p. 251.*    2) *V. LL. I, p. 518.*  
 3) *De die non constat; Jaffé p. 260.*    4) *Silvanectensis synodi acta periere: exstant tamen singularum synodi partium tituli, quinque capitibus distincti (Mansi XVII, p. 282). BOUQ.*    5) *Epistola 14, ad Anastasium, Mansi V, p. 1281.*



licentius amittere posset. Unde post depositionem eius complices illius ardentius coeperunt se ei iterum reconiungere<sup>a</sup> et alios quos valebant in societatem suam<sup>b</sup> abducere, quatenus, mox ut locum invenire possent, illum a custodia in qua servabatur<sup>c</sup> educerent et sibi regem constituerent. Quapropter necesse fuit, etiam illa de quibus ab episcopis iudicatus non fuerat in medium revocare, et secundum sacrarum legum decreta pro admissis suis iudicio mortis addictum mitiori sententia, ut locum et spatium poenitendi haberet et graviora admittendi facultatem<sup>d</sup>, sicut meditabatur, non haberet, luminibus acclamatione<sup>e</sup> cunctorum qui adfuerunt orbari, quatenus pernicioosa spes pacem odientium de illo frustraretur<sup>f</sup>, et ecclesia Dei ac christianitas in regno eius cum infestatione paganorum seditione exitiabili perturbari non posset.

Hladowicus Germaniae rex ante nativitatem Domini ad Franconofurth palatium venit ibique nativitatem Domini celebravit et placitum suum ibidem circa Kalendas Februarii condixit; quo filios suos Hladowicum et Karolum cum aliis suis fidelibus, homines quoque qui de regno quondam Hlotharii illi se commendaverunt convenire praecepit. Et dum ibi degeret, venit ad Karolum, filium eius, diabolus transfigurans se in angelum lucis, et dixit illi, quod pater eius, qui illum causa Karlomanni fratris sui perdere moliebatur, Deum offensum haberet et regnum in brevi amitteret, et eidem Karolo Deus illud regnum habendum dispositum haberet, quod in proximo optineret. Ipse autem Karolus timore perterritus, quia domui in qua latebat adhaerebat, ecclesiam est ingressus; quo eum diabolus est insecutus. Cui iterum dixit: 'Cur times et fugis? nam, nisi ex Deo venissem tibi adnuntians quae in proximo sunt futura, in hanc domum Domini te sequens non intrarem'. His et aliis blanditiis ei persuasit, ut communionem a Deo sibi missam<sup>g</sup> de manu illius acciperet; sicut et fecit. Et post buccellam ipse Satanus intravit in eum. Veniens autem ad patrem suum, et residens in consilio eius cum fratre et aliis fidelibus, tam episcopis quam et laicis<sup>h</sup>, subito in vasum surrexit, et dixit, quia seculum vellet dimittere, et quia uxorem suam carnali commercio non contingeret; et discingens se spata, cadere in terram illam permisit, et cum se vellet balteo discingere et vestimento exuere, coepit vexari. Comprehensus autem ab episcopis et ab aliis viris, turbato patre et

a) e corr. 1.    b) etiam de aliis regnis *add. A.*    c) donec videretur, si se a malis suis convertere vellet *add. A.*    d) locum et spatium *A.*    e) ac dominatione 1.    f) frustraret 1; frustrata foret *A.*    g) ut aiebat *add. A.*    h) patris sui *add. A.*



omnibus qui adfuerunt vehementique stupore percussis, ductus est in ecclesiam. Et Liutbertus archiepiscopus induens se sacerdotalibus vestibus, missam cantare coepit; cumque ventum fuisset ad locum euangelii, coepit magnis vocibus patria lingua 'vae'<sup>a</sup> clamare; et sic continuis vocibus 'vae'<sup>a</sup> illud clamavit, usque dum missa celebrata fuit. Quem pater eius episcopis et aliis fidelibus<sup>b</sup> committens, per sacra loca sanctorum martyrum deduci praecepit, quatenus illorum meritis et orationibus a daemone liberatus<sup>1</sup> ad sanam mentem, Domino miserante, redire praevaleret. Deinde disposuit illum Romam dirigere, sed quibusdam intervenientibus causis, iter illud dimisit.

Hludowicus imperator Italiae in Capua residens, mortuo iam Landberto<sup>c</sup> Calvo<sup>2</sup>, et pervento<sup>d</sup> patricio imperatoris Grecorum cum hoste in civitate quae Hydrontus dicitur in auxilium Beneventanorum<sup>e</sup>, qui censum quod<sup>d</sup> imperatoribus Franciae eatenus dabant illi persoluturos se promittebant, quoniam aliter Adalgisum obtinere non poterat, mandavit apostolico Iohanni, compatri Adalgisi, ut ad eum apud Campaniam veniret et sibi Adalgisum reconciliaret, volens ostentare, quasi<sup>d</sup> intercedente beati Petri vicario ipsum Adalgisum reciperet, de quo iuraverat, quod nunquam de illis partibus rediturus esset, antequam illum caperet; quem re vera virtute sua obtinere non posset.

Karolus hostem denunciat versus Britanniam, ut Nortmanni qui Andegavis civitatem occupaverant non autumarent, se<sup>f</sup> adversus eos illuc iturum, ne ad alia loca, in quibus ita constringi non possent, aufugerent. Dum autem illuc pergeret, in ipso itinere nunciatum est ei, quod factione fratris sui Hludowici Germaniae regis Karlomannus caecus per homines quondam suos, consentientibus duobus pseudomonachis, de Corbeio<sup>g</sup> monasterio sublatus et ad Hludowicum fuerit, cohibente<sup>h</sup> ac interveniente Adalardo, in suam contrarietatem perductus. Unde non magnopere est Karolus conturbatus; sed iter coeptum peragens, cum hoste collecta civitatem Andegavis — in qua Nortmanni, depopulatis quibusdam urbibus, eversis castellis, ecclesiis et monasteriis incensis, et agris in solitudinem redactis, iam diuturno tempore residebant — obsedit et sepe fortissima circum-

a) ve A.    b) suis *add.* A.    c) Lanberto A.    d) *ita etiam* A.    e) Beneventanorum 1.    f) sed a. eos illum 1; se a. illum A.    g) Corbeia A.    h) *ita* 1; v. *supra* p. 101, n. h; fuerat conhibendus A.

1) Cf. *V. Rimberti Hamb. c. 20, SS. II, p. 773.*    2) *Idem videtur esse qui supra a. 871, p. 118, 'alius Lambertus' dicitur.*



dedit, Salomone duce Brittonum ultra Meduanam<sup>1</sup> fluvium cum hoste Brittonum<sup>a</sup> in eius auxilio residente. Et dum Karolus rex in hoc negotio occupatus esset, Salomon filium suum nomine Wigon ad eum cum primoribus Brittonum misit; qui filius eius se Karolo commendavit et fidelitatem coram fidelibus suis illi iuravit.

Interea Rodulfus Nortmannus, qui multa mala in regno Karoli exercuerat, in regno Hludowici cum quingentis et eo amplius complicibus suis occisus est; Karolo vero<sup>b</sup> residente secus Andegavis<sup>c</sup> civitatem, non incerta relatione nunciatur. Multitudo siquidem locustarum per Germaniam<sup>d</sup> Gallias, maxime autem in Hispaniam adeo se effudit, ut Aegyptiacae<sup>e</sup> plagae potuerit comparari<sup>f</sup>.

Hludowicus rex Germaniae apud Mettis civitatem placitum suum tenere disponens, nuncium accepit, quod, nisi citissime filio suo Karlomanno in marcha contra Winidos subveniret, illum ulterius non videret. Qui statim reversus<sup>g</sup> Reghinisburg<sup>h</sup> pergens, Karlomannum caecum<sup>2</sup> Liutberto archiepiscopo pascendum in monasterio Sancti Albani apud Mogontiam commendavit, evidenti demonstrans indicio, qualiter illi displicuerint mala, quae isdem Karlomannus in sancta<sup>i</sup> Dei ecclesia, in populum christianum ac contra patrem suum egit, quandocumque vel ubicumque praevaluit. Ad Reghinisburg<sup>h</sup> autem [perveniens<sup>k</sup>], per missos suos Winidos sub diversis principibus constitutos modo quo potuit sibi reconciliavit<sup>3</sup>; legatos autem ab illis qui Behim dicuntur cum dolo missos suscipiens, in carcerem misit.

Karolus viriliter ac strenue obsidionem Nortmannorum in gyro Andegavis civitatis<sup>1</sup> exsequens, adeo Nortmannos perdomuit, ut primores eorum ad illum venerint seseque illi commendaverint et sacramenta qualia iussit egerint, et obsides quot<sup>m</sup> et quantos quaesivit illi dederint<sup>n</sup>, ut de civitate Andegavis constituta die exirent et in regno suo, quamdiu viverent, nec praedam facerent nec fieri consentirent. Petierunt autem, ut eis in quadam insula Ligeris fluvii usque in mense Februario<sup>o</sup> residere et mercatum habere liceret<sup>p</sup>, atque in mense Februario<sup>o</sup> quicumque iam baptizati essent ex eis et christianitatem de cetero veraciter tenere vellent

a) Britonum nonnumquam 1. b) deest A. c) e corr. 1. d) ita 1. A.; in Gallias edd. e) Aegyptiacae 1. f) comprobari 1. g) versus Reghinisburg A. h) ita A.; Remisburg 1. i) sanctam D. ecclesiam A. k) ita A.; deest 1. l) civitatem A. m) quos 1. n) dederunt. Unde civitate 1. o) Februario A. p) post vocem liceret una linea erasa 1; in A. nihil additur.

1) Mayenne. 2) Karoli filium. 3) Cf. Ann. Fuld. a. 874. et quae Dümmler I, p. 813, n. monuit.



ad eum venirent, et qui adhuc ex paganis christiani fieri vellent ipsius dispositione baptizarentur, ceteri vero ab illius regno discederent, ulterius, sicut dictum est, ad illud in malum non reversuri<sup>1</sup>. Post haec una cum episcopis et populo cum maxima religionis devotione corpora sanctorum Albini et Licinii<sup>a</sup>, quae effossa timore Nortmannorum de tumulis suis fuerant, suis in locis cum muneribus magnis restituit<sup>b</sup>. Sicque eiectis ab Andegavis civitate Nortmannis, acceptisque obsidibus, Karolus mense Octobrio per Cino-  
mannis civitatem et Ebrocense<sup>c. 2</sup> oppidum ac secus castellum novum apud Pistas Ambianis Kalendis Novembris pervenit. Indeque apud Audriacam villam ac circumcirca venationem exercens, ad monasterium Sancti Vedasti pervenit ibique nativitatem Domini celebravit

anno Domini 874.

Hiems prolixa et fortis, et nix tanta fuit nimietate perfusa, quantam nemo se vidisse meminerit.

Karolus purificatione sanctae Mariae cum suis consiliariis<sup>Febr. 2.</sup> placitum in monasterio Sancti Quintini tenuit, et ieiunium quadragesimale in monasterio Sancti Dyonisii peragens, ibidem pascha dominicum celebravit. Generale quoque placitum<sup>3</sup> Apr. 11. Idus<sup>d</sup> Iunii in villa Duziaco<sup>e</sup> tenuit, ubi et annua dona sua accepit. Indeque per Attiniacum et consuetos mansionaticos<sup>f</sup> Compendium adiit.

Aestas longa siccitatem foeni et messium inopiam reddidit.

Salomon dux Brittonum, qui nuntiabatur interea dubiis nunciis quandoquidem infirmus quandoquidem mortuus, certa relatione Karolo apud Compendium nunciatus est hoc ordine mortuus: videlicet insecutus a primoribus Brittonum Pascuitan et Vurhanat<sup>g. 4</sup>, Wigon, filio Rivilin<sup>h</sup>, necnon et Francis hominibus, quos valde afflixerat, et capto ac custodiae mancipato filio eius Wigon, fuga lapsus<sup>i</sup>, in Paucherum<sup>5</sup> secessit, et quoddam monasteriolum<sup>6</sup> ingressus, ut se liberare valeret, circumventus a suis, quod a nemine Brittonum quiddam<sup>k</sup>

a) Licini 1; Linnu 1<sup>a</sup>; Lizinii A.    b) ita A.; instituit 1.    c) ita 1. A.  
d) id ÷ 1.    e) Duziaco A.    f) mansiaticos 1.    g) Vurban atque W. A.  
h) Ruulin A.    i) lapsis 1.    k) ita 1. A.

1) *Aliter de hac pace iudicant Ann. Vedast. a. 874, Regino a. 873.*

2) *Evreux.*    3) *Celebratum est hoc placitum seu concilium adversus incesta coniugia et rerum ecclesiasticarum pervasiones, ut testatur epistola eius synodica ad episcopos Aquitaniae (Mansi XVII, p. 281). BOUQ.*

4) *Pascueten et Gurwant (Wrhwant) dicuntur in chartis Bretonicis; Dümmler I, p. 801, n.*    5) *Poher, dioec. Cornouailles; Monod p. 253.*

6) *Forte Plebelanum, quod ipse condiderat, quodque ab auctore vocatum est monasterium Salomonis, Moutier-Salaun. P.*



mali sustinere deberet, traditus est Francis<sup>a</sup> hominibus Fulcoaldo<sup>b</sup> et aliis. Sicque ab eis excaecatus, in crastinum mortuus est repertus, dignam vicem recipiens, qui seniore suum Herispogium, in ecclesia eius persecutionem fugientem et invocantem Dominum, super altare occidit.

Hludowicus rex Germaniae ad fratrem suum Karolum filium suum Karolum cum aliis missis suis direxit, petens, ut simul loquerentur secus Mosellam. Ad quod placitum cum Karolus pergeret, ventris solutione detentus, ad illud placitum, sicut fuerat condictum, pervenire non potuit. Unde conlocutio eorum, Hludowici scilicet et Karoli, secus Mosam apud Heristallium<sup>1</sup> circa Kalendas Decembris fuit. De qua conlocutione<sup>c</sup> Karolus per monasterium Sancti Quintini rediens, nativitatem Domini Compendio celebravit; et Hludowicus eandem sollemnitatem Aquis agens, inde ad palatium Franconofurt ultra Rhenum rediit.

Anno Domini 875.

Mart. 27. Karolus circa initium quadragesimae monasterium Sancti Dyonisii adiit, ubi et pascha Domini celebravit. Et Richildis, uxor eius, noctu ante quartam feriam paschae aborsu<sup>d</sup> filium peperit, qui baptizatus mox obiit. Illaque dies purificationis<sup>e</sup> post parturitionem in eodem monasterio exspectante, Karolus ad Basivum<sup>f. 2</sup> perrexit indeque ad laetanas celebrandas ante ascensionem Domini ad monasterium Sancti Dyonisii rediit, et vigilia pentecostes ad Compendium venit.

Mai 14. Hludowicus rex Germaniae mense Maio in Triburas placitum suum tenuit, et quia ibi quae meditatus fuerat perficere non potuit, iterum placitum suum in<sup>g</sup> mense Augusto ad eundem locum denunciavit.

Karolus mense Augusto ad Duciacum secus Arduennam pervenit; ubi certo nuntio, Hludowicum nepotem suum Italiae imperatorem obisse<sup>3</sup>, comperit. Quapropter mox inde movens, ad Pontigonem pervenit et quoscumque potuit de vicinis<sup>h</sup> suis consiliariis obviam sibi venire praecepit et a quibuscumque valuit suppetias in itinere suo accepit. Et inde Lingonas pervenit et eos quos secum in Italia ducere praedestinavit operuit; sicque [Richildem<sup>i. 4</sup>, uxorem suam, per

a) Francis A. b) Fulwaldo A. c) conlatione 1. d) ita 1. A.; i. e. abortu. e) suae add. A. f) Barnui, subpuncta littera i A. g) i. m. in ras. 1. h) vicis 1. i) Richildem — dirigens des. 1. 1<sup>a</sup>, suppl. Ch. ex A.

1) *Ann. Fuld.*: apud Sanctum Lantbertum (*Leodiensem*). 2) *Baisieux*, duabus a *Corbeia* et *vico Buissi leucis* distans, versus occidentalem plagam. *BOUQ.* (*Dép. Somme*). Alias sententias recenset *Dehaisnes*. 3) *Obiit d. 12. Augusti*. 4) *Haec et alia supplementa huius anni a Duchesnio et Pertzio recepta reuicere nolui, quamvis, Aimoini continuatorem ea ex alio fonte haurire potuisse, non prorsus negarim.*



civitatem Remis ad Silvacum remittens, et filium suum Hludowicum in partem regni, quam post obitum Hlotharii nepotis sui contra fratrem suum accepit, dirigens], Kalendis Septembribus<sup>a</sup> iter suum incoepit, et per Sancti Mauricii monasterium pergens, montem Iovis transiit et Italiam ingressus fuit.

Hludowicus rex Germaniae, frater eius, filium suum Karolum in Italiam, ut fratri suo adversaretur, transmisit. Quem Karolus rex fugam arripere et inde abscedere coegit. Hludowicus autem rex Germaniae<sup>b</sup> alium filium suum Karlomannum cum quibus potuit in adversitatem fratris sui in Italiam direxit. Quod praenosens Karolus rex, obviam ei cum validiori manu<sup>c</sup> perrexit. Et quia Karlomannus praenovit, se patruo suo non posse resistere, pacem petens cum eo locutus fuit, et sacramentis utrimque confirmatis, ad propria rediit. Hludowicus vero, persuadente Engilramno, quondam Karoli regis camerario et domestico<sup>d. 1</sup>, suasione Richildis reginae ab honoribus deiecto et a sua familiaritate abiecto, cum hoste et filio ac aequivoco suo Hludowico usque ad Attiniacum venit. Ad quem obsistendum primores regni Karoli, iubente Richilde regina, sacramento se confirmaverunt. Quod non adtenderunt, sed ex sua parte regnum Karoli pessumdantes, hostili more devastaverunt. Similiter et Hludowicus cum suo exercitu idem regnum pessumdedit<sup>e</sup>; sicque nativitatem Domini in Attiniaco agens, per placitamenta primorum, regni Karoli depraedatione facta, cum quibusdam comitibus ex Karoli regno, qui ad eum se contulerant, rediit, et per Treverorum civitatem transiens, ad palatium ultra Rhenum Franconofurth pervenit ibique dies quadragesimae et pascha Domini celebravit. [Ubi<sup>f</sup> et certo nuncio, Emmam uxorem suam apud Reghinisburg palatium obisse nuper post nativitatem Domini<sup>2</sup>, comperit].

876.  
Apr. 15.

Karolus, quibusdam de primoribus ex Italia ad se non venientibus, pluribus autem receptis, Romam invitante papa Iohanne perrexit, et 16. Kalendas Ianuarii ab eo cum gloria magna in ecclesia sancti Petri susceptus,

anno Domini 876,

in die nativitatis Domini beato Petro multa et pretiosa munera offerens, in imperatorem unctus et coronatus atque imperator Romanorum appellatus est. Et Nonas Ianuarii Roma exiens, Papiam rediit. Ubi et placitum suum habuit<sup>3</sup>,

a) Febr. 1. b) iterum *add. A.* c) *ita 1.* d) *domesticissimo A.* e) *in pessum dedit 1.* f) *Ubi — comperit des. 1.*

1) *V. supra a. 868, p. 97.* 2) *Die 31. Jan. 876.* 3) *Cf. LL. I, p. 528.*



et Bosone, uxoris suae fratre, duce ipsius terrae<sup>a</sup> constituto et corona ducali ornato, cum collegis eius, quos idem dux expetiit, in eodem regno relictis, per montem Iovis et per monasterium Sancti Mauricii [rediens<sup>b</sup>, ut pascha Domini apud monasterium Sancti Dyonisii celebrare valeret, iter acceleravit. Quod audiens Richildis degens apud Silvacum, 2. Nonas Mart. mox illi obviam movit, et cum summa festinatione per Remis, Catalaunis et Lingonas ultra Vesontium, in loco qui dicitur Warnarii-Fontana<sup>1</sup> 2. Idus Martii venit. Cum qua imperator] per Vesontium ac Lingonas [Catalaunis<sup>c</sup>] et Remis civitates et per Compendium palatium transiens, ad monasterium Sancti Dyonisii pervenit, ibique pascha Domini celebravit. Quo accersiens legatos apostolici Iohannem Tuschanensem<sup>d</sup> et Iohannem Aritinum<sup>e</sup> atque Ansigisum<sup>f</sup> Senensem, synodum auctoritate apostolica et illorum consilio atque sanctione sua indixit medio futuro mense Iulio<sup>g</sup> apud Pontigonem. Quo per Remis et Catalaunis civitates pervenit.

Apr. 15.

Boso, postquam imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarii, Everardi<sup>h</sup> filii, factione, filiam Hludowici imperatoris Hyrmengardem<sup>i</sup>, quae apud eum morabatur, iniquo concludio in matrimonium sumpsit.

Undecimo Kalendas Iulii, indictione 9, episcopis ceterisque clericis vestibus ecclesiasticis indutis, et domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio synodi et prospectu imperialis sedis lectorio superpositis [sacrosanctis<sup>k</sup> euangeliis], venit domnus imperator Karolus in vestitu deaurato, habitu Francico, cum legatis apostolicae sedis in synodum. Et cantoribus antiphonam *Exaudi nos Domine* cum versibus et Gloria cantantibus, post Kyrieleyson<sup>l</sup>, et data oratione a Iohanne Tuscanense episcopo, resedit domnus imperator in synodo. Et legit Iohannes Tuscanensis episcopus epistolas a domno apostolico missas<sup>2</sup>, cum quibus et legit epistolam de primatu Ansegisi episcopi Sennensis<sup>3</sup>, ut, quoties<sup>m</sup> utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda synodo sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias et per Germanias apostolica vice fruatur, et decreta sedis apostolicae per ipsum episcopis manifesta efficiantur, et rursus quae gesta fuerint eius relatione, si necesse fuerit,

a) terra et c. 1.      b) haec desunt 1. 1<sup>a</sup>; qui pergunt: et per V.      c) deest 1.  
d) Tuscan. A.      e) Aret. A., semper      f) Anseg. A., semper.      g) ita 1. A.;  
Iunio corr. P.      h) Evrardi A.      i) Yrmeg. A.      k) haec des. 1. 1<sup>a</sup>; ex A.  
suppl. P., qui add. apud Ponticonem ex fragmento Paris., quo Boug. usus est.  
l) Kyrieleyson A.      m) quotiens A.

1) Vernierfontaine prope Besançon; Monod p. 253.      2) Jaffé nr. 2265.  
3) Ib. nr. 2260.



apostolicae sedi pandantur, et maiora negotia ac difficiliora quaeque suggestione ipsius a sede apostolica disponenda et enucleanda quaerantur. Petentibus autem episcopis, ut eis permitteretur ipsa<sup>a</sup> legi epistola<sup>a</sup> quibus erat directa, non adquevit imperator, sed responsum quaesivit ab eis, quid de his iussis apostolici<sup>b</sup> responderent. Quorum responsio talis fuit, ut, servato singulis metropolitanis iure privilegii secundum sacros canones et iuxta decreta sedis Romanae pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, domni Iohannis papae apostolici<sup>b</sup> iussionibus oboedirent. Et cum imperator et legati apostolici satisegerint<sup>c</sup>, ut absolute archiepiscopi responderent, se oboedituros de primatu Ansigisi sicut<sup>d</sup> apostolicus scripsit<sup>e</sup>, aliud nisi ut praedictum est responsum ab eis extorquere non potuit<sup>f</sup>, excepto quod Frotarius<sup>g</sup> Burdegalensis episcopus, quoniam a Burdegala ad Pictavis indeque ad Bituricum favore principis contra regulas se contulit, per adolationem respondit, quod imperatori placere cognovit. Tunc motus imperator dixit, quod domnus papa ei suas vices commisit in synodo, et quod isdem praecepit ille exequi studeret. Et accepit ipsam epistolam involutam una cum Iohanne Tuscanensi et Iohanne Aritino et dedit illam Ansigiso, et iussit sellam plectilem ponere<sup>h</sup> ante omnes episcopos Cisalpini regni sui iuxta Iohannem Tuscanensem, qui ad dexteram illius sedebat, et praecepit Ansigiso, ut supergrederetur omnes ante se ordinatos et sederet in eadem sella, reclamante Remorum archiepiscopo, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Imperator tamen in sua sententia permansit; et petentibus episcopis, ut liceret eis vel exemplar de epistola sibi directa sumere, nec hoc valuerunt ullo modo impetrare. Et sic soluta est synodus in illa die.

Decima Kalendas praefati mensis iterum convenerunt episcopi. In quo conventu lectae sunt aepistolae a domno apostolico laicis missae<sup>1</sup>, et lecta est electio domni imperatoris ab episcopis et ceteris Italici regni firmata<sup>i</sup>, sed et capitula quae in palatio Ticinensi constituit et ab omnibus confirmari praecepit, quae et episcopis Cisalpinis praecepit confirmari<sup>2</sup>. Et sic soluta est synodus in die<sup>k</sup> illa.

Quinta Nonas Iulii convenerunt episcopi sine imperatore, et habitae sunt contentiones de presbiteris ex diversis parochiis reclamantibus ad missos apostolici. Et sic soluta est synodus in die<sup>l</sup> illa.

a) ita 1 A. b) apostolicis 1. c) satis aegerint 1; satagerent A. d) ansigisicut 1. e) in ras. 1. f) potuerunt A. g) Frotharius A. h) poni A. i) firmatis corr. firmata 1. k) illo die A. l) illa die A.

1) Quae non exstant. 2) LL. I, p. 532; confirmatio vero pridie Kal. Iul. data est.



4. Nonas eiusdem mensis iterum convenerunt episcopi; et imperator in synodo residens, audivit missos fratris sui Hludowici regis Willebertum archiepiscopum Coloniae et Adalardum ac Meingaudum<sup>a</sup> comites, per quos petiit partem de regno Hludowici imperatoris, filii Hlotharii fratris eorum, sicut ei competeret ex hereditate et illi firmatum fuerat sacramento. Et legit Iohannes Tuscanensis epistolam<sup>1</sup> a Iohanne papa episcopis regni Hludowici directam<sup>b</sup>, et dedit exemplar Willeberto archiepiscopo, ut deferret illud praefatis episcopis. Et sic soluta est synodus in illa die.

6. Idus Iulii convenerunt episcopi, et circa horam nonam venerunt missi domni apostolici Leo episcopus et apocrisiarius ac nepos apostolici atque Petrus Foro-Simpronii<sup>c</sup> episcopus, deferentes epistolas imperatori et imperatrici et salutationes apostolici ad episcopos<sup>2</sup>. Et sic soluta est synodus in die illa.

5. Idus Iulii convenientibus episcopis, lecta est epistola apostolici de dampnatione Formosi episcopi, Gregorii nomenclatoris<sup>d</sup> et consentientium<sup>e</sup> eis, et praesentata sunt imperatori ab apostolico transmissa dona, inter quae fuerunt praecipua sceptrum et baculus aureus. Sed et imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia et armilla<sup>f</sup> cum gemmis. Et sic soluta est synodus in illa die.

Pridie Idus Iulii convenerunt episcopi, et misit imperator vicarios<sup>g</sup> apostolici increpare durius<sup>h</sup> archiepiscopos reliquosque episcopos, qui pridie non convenerant, sicut praecipit. Illi autem canonice rationabili reddita ratione, sopita est increpatio. Et lecta est a Iohanne Tuscanensi iterum epistola, iubente imperatore<sup>i</sup>, pro primatu Ansigisi, et quaesita est ab episcopis denuo inde responsio. Et respondentibus singulis archiepiscopis, quoniam, veluti eorum antecessores illius antecessoribus regulariter oboedierunt, ita eius decretis vellent oboedire. Et facilius est illorum admissa responsio, quam fuerat in imperatoris praesentia. Et sic iterum, post multas contentiones de presbiteris diversarum parrochiarum reclamantibus ad missos apostolici<sup>3</sup>, lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem metropolim occupare. Cuius petitionibus unanimitas episcoporum non adquievit, et iubentibus legatis apostolici, ut 17. Kalendas Augusti convenirent episcopi, mane circa<sup>k</sup> horam nonam venit imperator

a) Meingardum A. b) ita 1. c) Sympr. A. d) ita 1. A. e) conscientium 1. f) armillae A. g) bis scr. 1. h) durios corr. durius 1. i) deest 1. k) et c. A.

1) Jaffé nr. 2267. 2) Quae non exstant; cf. Jaffé nr. 2271. 3) Cf. LL. I, p. 534.



Grecisco more paratus et coronatus, deducuntibus eum apostolici legatis more Romano [vestitis<sup>a</sup>], ac episcopis aecclesiasticis vestimentis indutis, et ceteris secundum modum primae<sup>b</sup> diei, quando inchoata est synodus, praeparatis. Et ut prius, cantata antiphona *Exaudi nos Domine* cum versibus et Gloria post Kyrieleison<sup>c</sup>, data oratione a Leone episcopo, resederunt omnes. Et legit Iohannes Aritinus quandam scedulam ratione et auctoritate carentem. Post quam legit Odo<sup>d</sup> Belgivagorum episcopus quaedam capitula a missis apostolici et ab Ansigiso et<sup>a</sup> eodem Odone<sup>d</sup> sine conscientia synodi dictata<sup>1</sup>, inter se dissonantia et nullam utilitatem habentia, verum et ratione ac auctoritate carentia; et idcirco hic non habentur subiuncta. Iterum autem<sup>e</sup> mota est interrogatio de primatu Ansegisi, et post multas ab imperatore et legatis apostolici contra episcopos querimonias habitas, tantum in novissima quantum et in prima die synodi exinde Ansigisus obtinuit. Post haec perrexit Petrus episcopus Foro-Simpromii<sup>f</sup> et Iohannes Tuscanensis ad cubiculum imperatoris, et adduxerunt Richildem imperatricem coronatam in synodum; et stante illa iuxta imperatorem, surrexerunt omnes, stantes quique in gradu suo. Tunc incoeperunt laudes Leo episcopus et Iohannes Tuscanensis episcopus, et post laudes peractas in domnum apostolicum et domnum imperatorem ac imperatricem et ceteros iuxta morem, data oratione a Leone Gavinense<sup>2</sup> episcopo, soluta est synodus.

Postea imperator, muneratis missis apostolici<sup>g</sup> Leone et Petro, remisit eos Romam<sup>3</sup>, et cum eis Ansigisum [Sennensem<sup>a</sup>] episcopum et Adalgarium Augustudunensem episcopum.

Interea baptizati sunt quidam Nortmanni ab Hugone abbate et marchione; propter hoc ad imperatorem adducti et munerati, ad suos redierunt. Et ut ante ita et postmodum ut Nortmanni more pagano peregerunt. Et imperator 5. Kalendas Augusti movit a Pontigone et tertio Kalendas venit ad Catalaunis. Ibi propter quandam molestiam corporalem<sup>h</sup> moratus est usque Idus Augusti. Et 19. Kalendas Septembris<sup>i</sup> venit Remi; indeque recto itinere venit ad Silvacum. Et 5. Kalendas Septembris misit legatos apostolici<sup>k</sup> Iohannem itemque Iohannem et Odonem<sup>d</sup> episcopum cum aliis missis suis ad fratrem suum Hludowicum et filios eius

a) deest 1.    b) horae add. A.    c) kyrriet 1.    d) Hod. A.    e) deest A.  
f) e corr. 1.    g) apostolicis A.    h) corporarem 1.    i) superscr. 1.    k) apostolico corr. apostolici 1.

1) LL. I, p. 534.    2) Id est Savinense vel Sabinense. Eadem scribendi ratio etiam in actis synodi Duciacensis et apud Anastasium initio Vitae Hadriani II. cap. 9. observatur. P.    3) Cf. LL. I, p. 535.



ac episcopos atque primores regni sui. Quibus missis in via, imperatori in Carisiaco nunciatum est, praefatum Hludowicum regem in Franconofurth palatio 5. Kalendas Septembris obisse et 4. Kalendas eiusdem mensis in monasterio Sancti Nazarii sepultum fuisse. Imperator vero, directis missis suis ad primores regni quondam fratris sui, a Carisiaco movit atque ad Satanacum<sup>1</sup> villam venit, dispositum habens Mettensem civitatem adire et episcopos ac primores regni quondam fratris sui ad se venientes recipere. Sed repente mutato consilio, perrexit Aquis, indeque Coloniam venit, et apostolici legati cum eo. Praedantibus autem<sup>a</sup> omnibus sine ullo divino respectu qui cum illo ibant, Nortmanni cum 100 circiter navibus magnis, quas nostrates bargas vocant, 16. Kalendas Octobris Sequanam introierunt. Quod cum apud Coloniam imperatori nunciatum fuisset, nil propter hoc a negotio quod coeperat inmutavit. Hludowicus autem, nepos illius, cum Saxonibus et Toringis ex altera parte Rheni fluminis contra eum venit, et missis ad patrum suum imperatorem directis, benignitatem eius expetiit; quam non impetravit. Tunc ipse ac comites eius ieiuniis et laetaniis Domini misericordiam petierunt, inridentibus eos illis qui erant cum imperatore.

Hludowicus, Hludowici regis filius, decem homines aqua calida et decem ferro calido et decem aqua frigida ad iudicium misit coram eis qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus in illo iudicio declararet, si plus per rectum<sup>b</sup> ille habere deberet portionem de regno quam pater suus illi dimisit ex ea parte, quam cum fratre suo Karolo per consensum<sup>c</sup> illius et per sacramentum accepit. Qui omnes inlaesi reperti sunt. Tunc ipse Hludowicus cum suis ad Andrunacum<sup>2</sup> castrum Rhenum transivit. Quod cum imperatori nunciatum fuisset, Richildem imperatricem praegnantem cum Hilduvino abbate et Francone<sup>d</sup> episcopo<sup>3</sup> ad Haristallium misit. Ipse autem secus Rhenum hostiliter contra nepotem suum perrexit, praemittens ad eum missos, ut quosdam de suis consiliariis obviam illius consiliariis mitteret, et tractarent de pace inter eos habenda. Quod Hludowicus humiliter et oboedienter suscipiens, securus mansit, quod bello adgredi non deberet, donec ipsa cautio<sup>e</sup> finiretur.

Imperator Nonas Octobris, dispositis<sup>f</sup> scaris suis, nocte surrexit, et levatis vexillis, per strictas et arduas vias, quin potius invias, super nepotem suum ac super eos qui cum illo

a) eo praedantibus . . . ibant. Nortmanni vero A.    b) *ita* 1. A.    c) consensu A.    d) Francono 1; Franchone A.    e) conventio A.    f) depositis 1.

1) *Stenay.*    2) *Andernach.*    3) *Leodiensi.*



erant subito irruere moliens, secus Andrunacum<sup>a</sup> pervenit, fatigatis hominibus et equis de gravi et stricto itinere et pluvia, quae super eos nocte tota effluxit. Et ecce subito nunciatum est Hludowico et suis, imperatorem cum valida manu hostiliter super eum venire. Ipse autem cum eis quos secum habuit e regione stetit, et irruentibus imperatoris cuneis<sup>b</sup>, et illis fortiter resistentibus, hostis imperatoris terga vertit et fugiendo<sup>c</sup> super imperatorem venit. Sed et imperator cum paucis vix fuga lapsus<sup>d</sup> evasit. Multi autem qui effugere<sup>e</sup> poterant impediti sunt, quoniam omnes sagmae<sup>f</sup> imperatoris et aliorum qui cum eo erant, sed et mercatores ac scuta vendentes imperatorem et hostem sequebantur et in angusto itinere fugientibus viam clausurunt<sup>d</sup>. Fuerunt autem in ipsa congressione<sup>g</sup> occisi Raganarius<sup>h</sup> et Hieronimus comites et multi alii; capti autem in eodem campo et silva vicina fuerunt Ottulfus episcopus<sup>i</sup>, Gauzlenus<sup>i</sup> abba, Aledramnus et Adalardus, Bernardus et Everwinus<sup>k</sup> comites et plures<sup>l</sup> alii, omnes autem sagmas<sup>m</sup> et ea quae mercatores portabant hostis Hludowici accepit. Et impletum est dictum propheticum, ubi ait: *Qui praedaris, nonne et ipse praeda-* Es. 33, 1.  
*beris?* Omnia quae praedatores qui erant cum imperatore habuerunt, sed et ipsi<sup>n</sup> praeda fuerunt, adeo ut, qui amminiculo equorum effugere poterant, animas suas haberent pro spolio. Ceteri autem ita sunt a villanis despoliati, ut feno et stramine involuti verenda<sup>o</sup> celarent et nudi profugerent; quos insequentes occidere noluerunt. Et facta est plaga<sup>1. Reg. 4, 10.</sup> magna in populo praedatore. Richildis autem, audiens 7. Idus Octobris de fuga hostis imperialis et ipsius imperatoris, ab Heristallio movet<sup>p</sup>; et fugiens, subsequenti nocte galli cantu in via peperit filium, quem post partum famulus suus ante se portans, fugiendo usque ad Antennacum<sup>2</sup> detulit. Imperator 7. Idus Octobris vesperi ad monasterium Sancti Landberti<sup>q</sup> pervenit. Ad quem Franco et Hilduvinus<sup>r</sup> abba a Richilde 6. Idus redierunt, et cum eo fuerunt, usque dum post Richildem ad Antennacum pervenit. Inde Duciacum<sup>s</sup> adiit; unde ad Antennacum rediit et placitum suum in Salmonciaco<sup>t</sup> 15. die post missam sancti Martini condixit.

Hludowicus, Hludowici quondam regis filius, de Andru-

a) Andrunacum 1. b) super eos *add. A.* c) fugando 1. d) *e corr. 1.* e) *effu et locus ras, trium litterarum 1.* f) saugine *A.* g) congregatione 1. h) Ragen. et Iher. *A.* i) Gauzlinus *A.* k) Ebroinus *A.* l) multi 1<sup>a</sup>. m) sauginas *A.* n) ipsa 1<sup>a</sup>; ipsi praeda *etiam A.* o) verecundia 1. p) movit *A.* q) Lantb. *A.* r) Hilduvinus *A.* s) Duziacum *A.* t) *ita 1. A.*

1) *Trecensis.* 2) *Antennacum est abbati Lebeuf vicus dictus Antenai prope Altivillarensis monasterium in dioecesi Remensi. BOUQ.*



naco<sup>a</sup> per Sinciacum<sup>b</sup> Aquis rediit ibique tribus diebus stetit, indeque obviam fratri suo Karolo apud Confluentes venit. Ubi simul locuti, Karolus versus Mettis indeque in Alamanniam<sup>c</sup> infirmus rediit, et Hludowicus ultra Rhenum perrexit. Karlomannus, frater eorum, nec ad eos nec ad patrum suum Karolum imperatorem, sicut ei mandaverat, venit, occupatus in belligeratione contra Winidos.

Karolus imperator Chuonradum<sup>d</sup> et alios primores ad Nortmannos qui in Sequanam venerant misit, ut, quocumque modo possent, foedus cum eis paciscerentur<sup>e</sup> et ad conditum placitum ei renuntiarent.

Domnus imperator Karolus ad placitum suum in Salmontiaco<sup>f</sup>, sicut condixerat, venit, ibique homines de parte regni quondam Hlotharii, quam frater suus Hludowicus contra eum acceperat, ad se post fugam de Andrunaco venientes<sup>g</sup> suscepit, et quibusdam<sup>h</sup> abbatias<sup>i</sup> sicut erant integras dedit, quibusdam de abbacia Martianas<sup>k.1</sup>, quam diviserat, beneficia<sup>l</sup> donavit, et sic a se abire permisit. Scaras quoque, quae contra Nortmannos secus Sequanam in procinctu essent, disposuit. Ipse autem ad Virzinniacum<sup>2</sup> villam veniens, graviter passione pleurisis est infirmatus, adeo ut vivere desperaret. Ibiq̄ natalem Domini celebravit

anno incarnationis dominicae 877.

Convalescens autem per Carisiacum ad Compendium venit. Ubi dum moraretur, filius eius, qui, antequam Richildis ad Antennacum veniret, in via natus fuerat, infirmatur, et a Bosone, avunculo suo, de fonte susceptus, Karolus nominatus, moritur et ad monasterium Sancti Dyonisii sepeliendus defertur<sup>3</sup>.

Apr. 7. Karolus autem imperator in Compendio quadragesimam peragens, pascha Domini celebravit et missos apostolici Iohannis Petrum episcopum Foro-Simpronii<sup>m</sup> itemque Petrum episcopum Senogalliae suscepit; per quos tam verbis quam litteris eum apostolicus Iohannes Romam vocavit, quatenus, sicut

a) Andruaco 1. b) Sintiacum A. c) Alamenniam corr. Alamanniam 1. d) Chonr. A. e) pacisceretur 1; cum eis inmiscerentur A. f) ita h. l. 1; Salmonciaco A. g) veniens 1. h) quasdam 1. i) abbatias A. k) Marciana A. l) beneficiola A. m) Forophronii 1.

1) Marchiennes. 2) Abbas Lebeuf Virzinniacum villam interpretatur locum Verzenai dictum, prope monasterium Sancti Basoli, in dioecesi Remensi. Mabillonius lib. 37. ann. Bened. num. 79. existimat locum esse Visignicurt vocatum, prope Praemonstratum. Est quoque Virzinniacum villa, vulgo Versigny, tribus circiter leucis distans a Crespy-en-Valois. BOUQ. 3) Hinc ab Aimoini continuatore plura de monasterio S. Germani Parisiensi addita sunt.



promiserat, sanctam Romanam ecclesiam a paganis quibus infestabatur eriperet atque defenderet. Kalendis Mai episcopos Remensis provinciae, sed et aliarum provinciarum Compendio convocavit, et ecclesiam quam in eodem oratorio construxerat cum multo apparatu in sua et nunciorum<sup>a</sup> apostolicae sedis praesentia ab eisdem episcopis consecrari fecit<sup>1</sup>. Inde placitum suum generale Kalendis<sup>2</sup> Iulii<sup>b</sup> habuit, ubi per capitula<sup>3</sup>, qualiter regnum Franciae filius suus Hludowicus cum fidelibus eius et regni primoribus regeret, usque dum ipse Roma rediret, ordinavit, et quomodo tributum de parte regni Franciae quam ante mortem Lotharii habuit, sed et de Burgundia exigeretur, disposuit<sup>4</sup>, scilicet ut de mansis indomiticatis solidus unus, de unoquoque manso ingenuili 4 denarii de censu dominico et 4 de facultate mansuarii, de manso vero servili duo denarii de censu dominico et duo de facultate mansuarii, et unusquisque episcopus de presbiteris suae parochiae secundum quod cuique possibile erat, a quo plurimum quinque solidos, a quo minimum 4 denarios episcopi de singulis presbiteris acciperent et missis dominicis redderent. Sed et de thesauris ecclesiarum, prout quantitas loci extitit, ad idem tributum exsolvendum acceptum fuit. Summa vero tributi fuerunt quinque milia librae argenti ad pensam. Illi vero, tam episcopi quam et alii qui trans Sequanam sunt de Neustria, tributum illis Nortmannis qui in Ligeri erant secundum quod sibi ab eis fuit impositum, undecumque valuerunt, reddere procuraverunt.

Domnus autem imperator Karolus de Carisiaco Compendium, indeque per Suessionis ad Remum civitatem, et sic iter suum per Catalaunis et Pontigonem atque Lingonis peragens, cum uxore et maxima auri et argenti caballorumque ac facultatum aliarum copia de Francia Italiam petiit. Et veniens ultra Iurim usque ad Urbam<sup>c</sup>, obviam habuit Adalgarium episcopum, quem mense Februario<sup>d</sup> Romam direxit pro agenda synodo a papa Iohanne; cuius exemplar isdem Adalgarius pro munere magno imperatori detulit<sup>5</sup>.

a) missorum A.    b) Kal. Iuniis A.    c) urbem I.    d) Februario A.

1) Cf. chartam Karoli d. 5. Mai datam, Böhmer, Reg. Karol. nr. 1809.

2) Bouquetus corrigendum censet 18. Kal. Iulii, cui assentiri nequeo. Nam totum spatium inde a 14. die Iunii usque ad 1. Iulii Kalendarum Iuliarum nomine venit. P.    3) LL. I, p. 537.    4) Haec ad conventum Compendiensem Nonis Maii habitum referenda, quem cum placito Carisiacensi confundit annalista. BOUQ. V. LL. I, p. 536.

5) De synodo Ravennate mense Augusto habita (Mansi XVII, p. 337; App. p. 171) agi, Jaffé censet p. 269; cf. Dümmler II, p. 50.



Summa vero eiusdem synodi post multas et multiplices laudes imperatoris haec est: ut electio et promotio ad imperialia scepra anno praeterito Romae celebrata extunc et nunc et in perpetuum firma et stabilis maneat; quam si quis perturbare aut violare temptaverit, cuiuscumque sit ordinis aut dignitatis vel professionis, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore adnexus; patratores et incitatores huius consilii, siquidem clerici fuerint, deponantur, laici vero et monachi perpetuo anathemate feriantur, ut, quia synodus anno praeterito apud Pontigonem hinc habita secus Andranacum<sup>a</sup> nil profuit, usquequaque ista debeat praevalere. Nunciavit etiam inter alia isdem Adalgarius imperatori, quoniam Iohannes papa obviam illi Papiam veniret. Quapropter praemisit Odacrum secundi scrinii notarium, Goiramnum comitem et Pippinum atque Heribertum<sup>1</sup> ad procuranda ipsius papae servitia. Ipse autem festinato perrexit ad eum, quem obvium habuit apud Vercellis civitatem; et recepto<sup>b</sup> cum honore maximo, perrexerunt simul usque Papiam. Ubi eis nunciatum est non incerta relatione, Karlomannum, Hludowici fratris sui filium, cum maxima multitudine bellatorum super eos venire. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam<sup>2</sup>, et consecrata Richildis<sup>c</sup> a papa Iohanne in imperatricem, mox retrorsum fugam arripuit cum thesauro versus Moriennam. Imperator autem aliquamdiu una cum Iohanne papa in eisdem locis immorans, exspectavit primores regni sui, Hugonem abbatem, Bosonem, Bernardum Arvernium comitem itemque Bernardum Gothiae markionem, quos secum ire iusserat; qui una cum aliis regni primoribus, exceptis paucis, et episcopis adversus eum conspirantes coniuraverant. Et comperiens eos non venturos, ut audierunt ipse et papa Iohannes appropinquare Karlomannum, imperator post Richildem fugam arripuit, et papa Iohannes versus Romam concite<sup>d</sup> festinavit. Per quem Karolus imperator imaginem Salvatoris in cruce fixa<sup>e</sup>, ex auro multi ponderis fabrefactam et gemmis preciosis ornatam, sancto direxit Petro apostolo.

Karlomannus vero mendaci nuncio audiens, quod imperator et papa Iohannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, et ipse fugam arripuit per viam quam<sup>b</sup> venerat, sicque Deus more misericordiae suae conventum illum dissolvit. Karolus vero febre correptus, pulverem bibit, quem sibi nimium dilectus ac credulus medicus suus Iudaeus

a) Antennacum corrigendum. P.    b) ita 1. A.    c) Richilde A    d) concito A.  
e) ita 1; fixam A.; fixi edd.

1) *Filii Pippini supra a. 834, p. 9. memorati, nepotes Bernhardi regis Italiae.*    2) *Tortona.*



nomine Sedechias transmisit, ut ea potione a febre liberaretur; insanabili veneno hausto, inter manus portantium, transito monte Cinisio, perveniens ad locum qui Brios<sup>1</sup> dicitur, misit pro Richilde, quae erat apud Moriennam, ut ad eum veniret; sicut et fecit. Et 11. die post venenum haustum in vilissimo tugurio mortuus est 2. Nonas Octobris. Quem aperientes qui cum eo erant, ablatis interaneis, et infusum vino ac aromatibus quibus poterant et impositum locello, coeperunt ferre<sup>a</sup> versus monasterium Sancti Dyonisii, ubi sepeliri se postulaverat. Quem pro foetore non valentes portare<sup>2</sup>, miserunt eum in tonna interius exteriusque picata quam coriis involverunt; quod nihil ad foetorem tollendum profecit. Unde ad cellam quandam monachorum Lugdunensis episcopii quae Nantoadiis<sup>3</sup> dicitur vix pervenientes, illud corpus cum ipsa tonna terrae mandaverunt.

Karломannus pene usque ad mortem infirmatus et lectica delatus ad propria, per annum ita iacuit, ut a multis fuerit desperatus.

Hludowicus, accepto nuncio in Audriaca villa de morte patris sui<sup>b</sup>, quos potuit conciliavit sibi, dans eis abbatias et comitatus ac villas secundum uniuscuiusque postulationem. Et iter agens per Carisiacum et Compendium usque ad Vernum, quatenus ad sepulturam patris sui<sup>4</sup> apud monasterium Sancti Dyonisii perveniret; ubi audiens patrem suum<sup>5</sup> sepultum, et regni primores tam abbates quam comites indignatos, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, et ob id adversum se conspiratos esse, reversus est Compendium. Ipsi autem primores cum Richilde, diripientes omnia quae in via illorum erant, usque ad Avennacum monasterium pervenerunt et conventum suum ad Montem-Wit-mari<sup>6</sup> condixerunt, indeque missos suos ad Hludowicum<sup>c</sup> direxerunt; sed et Hludowicus legatos suos ad eos direxit. Et discurrentibus inter eos missis, ad hoc perventum est, ut Richildis et ipsi primores ad eum Compendium venirent, et suum conventum ad Casnum<sup>7</sup> in Cotia<sup>d</sup> condixerunt.

a) ferrae 1. b) Karoli *add. A.* c) *ita deinceps* 1. d) Cocia *A.*

1) *Vicus incognitus, fortasse Briançon, non oppidum illud satis notum, sed viculus ad ripam Isarae paulo infra Moustiers-en-Tarentaise. P.*

2) *Aimoini cont.*: sepelierunt eum basilica beati Eusebii martyris in civitate Vercellis, ubi requievit annis septem. Post haec autem per visionem delatum est corpus eius in Francia et honorifice sepultum in basilica beati Dyonisii martyris Parisius. 3) *Nantua.* 4) ut putabat *add. A.*

5) *Vercelli add. A.* 6) *Mont-Aimé (départ. Marne); Monod p. 253.*

7) *Chesne-Herbelot, modo positum extra silvam Cotiam. BOUQ. Alii de Caisne (arrond. Compiègne) cogitarunt. DEH.*



Nov. 30. Richildis Compendium ad Hlodowicum veniens, missa sancti Andreae attulit ei praeceptum, per quod pater suus illi regnum ante mortem suam tradiderat, et spatam quae vocatur sancti Petri, per quam eum de regno revestiret, sed et regium vestimentum et coronam ac fustem ex auro et gemmis. Et discurrentibus legatis inter Hlodowicum et regni primores, et pactis honoribus singulis quos petierunt, 6. Idus Decembris consensu omnium tam episcoporum et abbatum quam regni primorum ceterorumque qui adfuerunt consecratus et coronatus est in regem Hlodowicus ab Hincmaro Remorum episcopo. Et episcopi se suasque ecclesias illi ad debitam defensionem et canonica privilegia sibi servanda commendaverunt, profitentes secundum suum scire et posse et iuxta suum ministerium consilio et auxilio illi fideles fore; abbates autem et regni primores ac vassalli<sup>a</sup> regii se illi commendaverunt et sacramento secundum morem fidelitatem promiserunt.

Quando<sup>1</sup> Hlodowicus rex, filius Karoli imperatoris, fuit coronatus in Compendio, hoc petierunt episcopi apud ipsum, sicut hic subsequitur: *A vobis perdonari nobis petimus, ut unicuique de vobis et ecclesiis<sup>b</sup> nobis commissis secundum primum capitulum, quod novissime in Carisiaco dominus imperator, pater vester, a se et a vobis servaturum<sup>2</sup>, consentientibus fidelibus [suis<sup>c</sup>] ac vestris atque apostolicae sedis legatis, legente Gozleno<sup>d</sup>, denunciavit, canonicum<sup>e</sup> privilegium ac<sup>f</sup> debitam legem atque iustitiam conservetis et defensionem exhibeatis, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et ecclesiae sibi commissae iuste<sup>g</sup> exhibere debet.*

Ipse autem Hlodowicus talem promissionem fecit illis episcopis:

*Promitto et perdono vobis, quia unicuique de vobis et ecclesiis<sup>h</sup> vobis commissis secundum primum capitulum, quod novissime in Carisiaco dominus imperator, pater meus, se<sup>i</sup> servaturum, consentientibus fidelibus illius ac nostris atque apostolicae sedis legatis, legente Gozleno<sup>d</sup>, denunciavit, canonicum privilegium et debitam legem atque iustitiam conservabo, et defensionem quantum potuero exhibebo<sup>k</sup>, adiuvante Domino, sicut rex in<sup>l</sup> suo regno unicuique episcopo et ecclesiae sibi commissae debitor<sup>m</sup> est exhibere.*

a) vassi A. b) ecclesis 1. c) deest 1; illius S. d) Gauzleno S. P. e) canonicam corr. canonicum 1. f) et P. g) per rectum S. P. h) ecclesis 1. i) a se et a me s. S. P. k) a. D. e. S. P. l) in s. r. om. S. m) per rectum e. debet S. P.

1) *Sequentia usque ad finem anni omisit Aimoini continuator. Acta exstant in cod. olim Paris. 4761, nunc Ashburnham, Barrois 146. 73; cf. LL. I, p. 543, quarum lectiones P. indicavi. Primus edidit Sirmondus, Capit. p. 447 (S.).*



Hoc est capitulum quod hic commemoratur<sup>1</sup>: *De honore quoque<sup>a</sup> et cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum, quae auctore Deo sub ditione et tuitione regiminis nostri consistunt, Domino mediante decernimus, ut, sicut tempore beatae recordationis domni genitoris<sup>b</sup> nostri excoltae et honoratae atque rebus ampliatae fuerunt, et quae a nostra liberalitate honoratae atque ditatae sunt, de cetero sub integritate sui serventur, et sacerdotes atque<sup>c</sup> servi Dei vigorem ecclesiasticum et debita privilegia iuxta reverendam auctoritatem obtineant, et eisdem principalis potestas et illustrium virorum strenuitas seu rei publicae administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter et iuste concurrant; et filius noster haec supradicta<sup>d</sup> similiter, Deo adiuvante<sup>e</sup>, conservet.*

*Commendatio Ansigisi episcopi et aliorum episcoporum qui adfuerunt apud Compendium, quando benedixerunt Hlodowicum, filium Karoli imperatoris.*

*Me ac aecclesiam mihi commissam vobis commendo ad debitam legem et iustitiam conservandam et defensionem exhibendam, sicut rex episcopo et ecclesiae suae iusto iudicio conservare et exhibere debet.*

*Professio ipsorum.*

*Ego ille sic profiteor: De ista die et deinceps isti seniori et regi meo Hlodowico, Karoli<sup>f</sup> et Hyrmentrudis filio, secundum meum scire et posse et meum ministerium et auxilio<sup>g</sup> et consilio fidelis et adiutor ero, sicut episcopus recte seniori suo debitor est, in mea fide et meo sacerdotio.*

Ad suprascriptam vero episcoporum petitionem haec quae sequuntur rex Hlodowicus professus est episcopis, et istam ipsam donationis scripturam<sup>h</sup> manu sua eis dedit in Compendio anno incarnationis dominicae 877, 2. Kalendas Decembris:

*Professio istius Hlodowici, filii Karoli.*

*Ego Hlodowicus, misericordia domini Dei nostri et electione populi rex constitutus, promitto teste ecclesia Dei omnibus ordinibus, episcoporum videlicet, sacerdotum, monachorum, canonicorum atque sanctimonialium, regulas a patribus conscriptas et apostolicis adtestationibus roboratas*

a) deest P.    b) et g. P.    c) ac P.    d) supra scripta P.    e) iuvante P.  
f) Karo corr. Karoli 1.    g) et aux. manu scribae et eodem atram. in marg. 1.  
h) scripturarum 1.

1) LL. I, p. 531. ex eodem cod. Paris.



*ex hoc et in futurum tempus<sup>a</sup> me illis ex integro servaturum<sup>b</sup>. Polliceor etiam, me servaturum leges et statuta populo, qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, pro communi consilio fidelium nostrorum, secundum quod praedecessores mei imperatores et reges gestis inseruerunt et omnino inviolabiliter tenenda et observanda decreverunt. Ego igitur Hlodowicus rectitudinis et iustitiae amore hanc spontaneam promissionem meam relegens, manu propria firmavi.*

Anno 878.

Mart. 23. Hlodowicus rex secus Suessionis in monasterio Sancti Medardi nativitatem Domini celebravit, indeque ad Audriacam villam perrexit, et pascha Domini in monasterio Sancti Dyonisii celebravit. Ac suadente Hugone<sup>1</sup> abbate et markione, perrexit ultra Sequanam, tam pro auxilio Hugonis contra Nortmannos, quam et pro eo quod filii Gozfridi castellum et honores filii Odonis quondam comitis invaserunt, ac quia Imino<sup>c.2</sup>, frater Bernardi markionis, Ebrocensem civitatem usurpans, multas depraedationes circumcirca in illis regionibus exercebat, insuper et Eiricum<sup>d.3</sup> more Nortmannico depraedari praesumpsit. Et veniens Hlodowicus usque Turonis, infirmatus est usque ad desperationem vitae. Sed miserante Domino aliquantulum convalescens, satagentibus quibusdam consiliariis suis et amicis Gozfridi, venit ad eum isdem Gozfridus, adducens secum filios suos ea conditione, ut castellum et honores quos invaserant Hlodowico regi redderent et postea per concessionem illius haberent. Tunc Gozfridus partem de Brittonibus ad regis fidelitatem convertit; sed ipsi demum fecerunt ut Brittones.

Mai 11. Iohannes papa irascens contra Landbertum<sup>e</sup> et Adalbertum comites<sup>4</sup>, quia villas et civitatem eius praedati<sup>f</sup> sunt, eos horribiliter excommunicatos, Roma exiit<sup>5</sup> et navigio Arelatum in die sancto<sup>g</sup> pentecostes appulit, suosque nuncios ad Bosonem<sup>h</sup> comitem misit et per eius auxilium usque Lugdunum venit, et inde missos suos ad regem Hlodowicum Turonis misit, mandans, ut ei obviam veniret, quo sibi commodum foret. Hlodowicus autem mittens obviam

a) e corr. 1.    b) servitutum corr. servaturum 1.    c) ideo quia 1; et Imino A.  
d) ita 1. A.    e) Lantb. A., semper.    f) dep. A.    g) sancti A.    h) in ras. 1.

1) De quo v. Kalckstein, 'Forschungen' XIV, p. 37 sqq.    2) Sed cf. Dümmler II, p. 88, n. Emeno Pictaviensis comes frater erat Bernardi, patris Bernardi rebellis. BOUQ.    3) Ignoratur. P. legendum putavit: Rotomi cum; quod Kalckstein l. l. p. 83. probavit.    4) Duces Spoletii et Tusciae.    5) Aimoini cont. ita: ferens secum preciosissimas reliquias et cum Formoso episcopo Portuensi n. Ar.



ei quosdam episcopos, petiit, ut usque Trebas veniret, ibique ab episcopis istius regni stipendia dari fecit. Et quia propter suam infirmitatem ante non potuit, Kalendis Septembris<sup>1</sup> apud Trebas ad eum venit. Interea papa Iohannes generalem synodum cum episcopis Galliarum et Belgicarum provinciarum agens, qualiter Landbertum et Adalbertum, Formosum quoque et Gregorium nomenclatorem<sup>a</sup>, ac complices illorum Romae excommunicaverit, relegi fecit in synodo et consensum episcoporum in eadem excommunicatione quaesivit. Unde qui adfuerunt episcopi petierunt, ut, sicut ipse excommunicationem quam fecerat per scripturae lectionem recitari fecit in synodo, ita et eis concederet, ut per scripturam illi suam consensionem<sup>b</sup> proferrent; et concedente ita fieri papa Iohanne, in crastina episcopi hoc quod sequitur diploma papae in synodo porrexerunt<sup>2</sup>:

*Domine sanctissime ac<sup>c</sup> reverentissime pater patrum Iohannes, catholicae atque apostolicae ecclesiae, sanctae<sup>d</sup> videlicet Romanae primae sedis, papa. Nos<sup>e</sup>, famuli<sup>f</sup> ac discipuli vestrae auctoritatis, Galliarum et Belgicarum episcopi, his, quae super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes, in sanctam matrem nostram ac magistram omnium ecclesiarum commiserunt, compatimur, et dolori vestro conflentes, condolemus, atque iudicium vestrae auctoritatis, quod privilegio beati Petri et sedis apostolicae in eos et complices illorum<sup>g</sup> iuxta sacros kanones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos ac<sup>h</sup> secundum eiusdem sanctae<sup>i</sup> Romanae<sup>k</sup> sedis pontificum, decessorum vestrorum, decreta protulistis, voto, voce et unanimitate nostra atque auctoritate sancti Spiritus, cuius gratia in episcopali ordine sumus<sup>l</sup> consecrati, gladio Spiritus<sup>m</sup>, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur<sup>n</sup>. Scilicet quos, sicut<sup>o</sup> supra diximus, excommunicastis excommunicatos tenemus, quos ab ecclesia abiecastis abicimus, quos anathematizastis anathematizatos esse iudicamus et quos regulariter satisfaciens vestra auctoritas et apostolica sedes receperit recipiemus; sed et<sup>p</sup>, ut in sacra historia de plaga Aegyptiaca<sup>q</sup> digne a Deo inlata legimus, quia: 'Non*

a) nomine culatorem 1. b) conscensionem 1. c) et S. d) deest S. e) fili et add. A. f) tui add. 1; deest A. S. g) eorum A. S. h) et S. i) deest S.; s. e. s. in ras. 1. k) Romone 1. l) deest A. m) sancti add. A. n) prosequimur 1. o) s. s. d. des. S.; s. praediximus A. p) deest A. S. q) Aegyptiaca A.

1) Ita tempus inde a. 17. Kal. Augusti (16. Aug.) indicatur; v. supra p. 135, n. 2. Nam certe 18. Aug. Hludovicus Trebas fuit; v. Iohannis VIII. epist. h. d. datum, Jaffé nr. 2397. 2) Ediderunt Sirmondus, Conc. Gall. III, p. 476, ex codd. Rem. et Bellov. (Mansi XVII, p. 348), cuius lectiones attuli (S.).



erat domus in qua non iaceret mortuus, et non erat qui alium consolaretur, quoniam in domo sua unusquisque quod lugeret habebat, nos in<sup>a</sup> nostris quoque ecclesiis<sup>b</sup> lugenda lugemus; et ideo vestra auctoritate nobis subveniri cum omni mentis humilitate deprecamur, petentes, ut promulgetis capitulum vestrae auctoritatis, qualiter nos erga ecclesiarum nostrarum pervasores agere debeamus, ut censura apostolicae sedis muniti, robustiores ac<sup>c</sup> promptiores deinceps, Domino opem ferente, contra perversos ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores sacrique ministerii episcopalis contemptores nos successoresque nostri persistere concordi sententia valeamus, ut iuxta egregii praedicatoris vocem et vestrae auctoritatis promulgationem traditi<sup>d</sup> Satanae, spiritu salvi fiant in die domini nostri Iesu Christi.

Excommunicatio<sup>e</sup> Iohannis apostolici et ceterorum episcoporum qui adfuerant<sup>f</sup> apud Treca de pervasoribus<sup>g</sup> rerum ecclesiasticarum.

De pervasoribus<sup>g</sup> quippe rerum ecclesiasticarum, quos sacri canones, spiritu Dei conditi et totius mundi reverentia consecrati, et decreta pontificum sedis apostolicae sub anathemate usque ad regularem satisfactionem esse debere constituerunt, sed et de raptoribus, quos apostolus, Christo in se loquente, regnum Dei non possidere testatur, et cum huiusmodi omni<sup>h</sup> veraciter christiano nec cibum sumere praecipit, quamdiu in ipso crimine permanent, per virtutem Christi et iudicio sancti<sup>i</sup> Spiritus decernimus, ut, si ante proximas Kalendas Novembris easdem res, quas quique usurpatores iniuste pervaserunt, ecclesiis suis regulariter satisficientes non restituerint, a communione corporis et sanguinis Christi usque ad restitutionem rerum ecclesiasticarum et satisfactionem alieni habeantur. Et sacri episcopalis ministerii excommunicationis ecclesiasticae contemptores secundum evangelicam et apostolicam auctoritatem ab episcopis quorum interest commoniti<sup>k</sup>, si regulariter satisficientes non resipuerint, anathematis vinculo innodati usque ad satisfactionem permaneant. Et si in ipsa pertinacia permanentes obierint, nemo corpora illorum cum hymnis et psalmis sepeliat, nec memoria illorum ad sacrum altare inter fideles mortuos habeatur, dicente<sup>l</sup> apostolo et evangelista Iohanne: 'Est peccatum ad mortem? pro illo non dico, ut quis oret'<sup>m</sup>. Peccatum enim ad mortem est perseverantia in pec-

1. Cor. 6, 10.  
5, 11.

Cf. Matth.  
18, 17.

1. Ioh. 5, 16.

a) q. in n. S.    b) ecclesis 1.    c) et S.    d) traditis 1.    e) sequentia usque  
anathematizat B. om. Aimoini cont.    f) adfuerunt S.    g) pervasoribus 1.  
h) omnium 1.    i) Sp. s. S.    k) communione 1.    l) docente S.    m) roget S.



cato usque ad mortem. Et sacri antiquorum patrum canones<sup>1</sup> de his qui sibi mortem voluntarie inferunt et qui pro suis sceleribus puniuntur, sancto inspirante Spiritu, decreverunt, ut cum hymnis et psalmis eorum corpora non deferantur ad sepulturam. Quorum decreta sequentes, ea quae praemisimus de pervasoribus et raptoribus rerum et facultatum ecclesiasticarum, si non resipuerint, iudicio sancti<sup>a</sup> Spiritus decernimus, sicut beatus decrevit Gregorius, dicens, quia: 'Tales christiani non sunt, quosque ego<sup>b</sup> et omnes catholici episcopi, immo universalis<sup>b</sup> ecclesia anathematizat'. B. c

Quod dyploma Iohannes papa suae excommunicationi ascribi fecit et manu sua confirmans ab omnibus episcopis in synodo subscribi<sup>d</sup> fecit. Deinde ipso iubente lecti sunt in synodo canones Sardicensis concilii<sup>2</sup> et decretum papae Leonis<sup>3</sup> de episcopis sedes suas mutantibus, sed et Affricani<sup>e</sup> canones<sup>4</sup>, ut non fiant episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes vel reordinationes, pro Frotario<sup>f</sup> Burdegalensi episcopo, qui de Burdegale<sup>g</sup> Pictavis indeque ad Biturigensem civitatem exilisse dicebatur.

Et coronatus Hlodowicus a papa Iohanne 7. Idus Septembris, invitavit eundem papam ad domum suam, et opipare pascens, honoravit eum multis donis ipse et uxor sua, et remisit eum ad Trekas civitatem; postea vero per missos suos petiit eundem papam, ut uxorem illius in reginam coronaret; sed obtinere non potuit. Frotarius autem et Adalgarius episcopi attulerunt in conventu<sup>h</sup> episcoporum papae Iohanni praeceptum, per quod pater suus Hlodowico regnum tradiderat, petentes ex ipsius parte, ut privilegio suo ipsum praeceptum confirmaret. Tunc papa Iohannes protulit exemplar quasi facti praecepti a Karolo imperatore de [donanda<sup>i</sup>] abbacia Sancti Dyonisii Romanae ecclesiae; quod compilatum consilio praefatorum episcoporum et aliorum consiliariorum Hlodowici regis a plurimis credebatur, ut a Gozleno<sup>k</sup> ipsam abbatiam velut ex ratione tollere et sibi habere posset; et dicente papa Iohanne, ut<sup>l</sup>, si vellet Hlodowicus rex, ut super illius praeceptum privilegium<sup>m</sup> faceret, suo praecepto illud patris sui praeceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio et non ratio, imperfectum remansit.

Denique 4. Idus praefati mensis Hlodowicus rex, quorundam primorum compulsus petitionibus, venit ad apostolici mansionem, et cum eo familiariter locutus, una cum illo re-

a) Sp. s. S. b) et e. — et u. S. c) hoc signum (Bene valete?) om. S. d) ascribi l. e) Afric. A. f) Frothar. A., semper. g) Burdegala A. h) ita l. A. i) deest l. k) Gozolino A. l) quod A. m) privilegium corr. privilegium l.

1) Concilium Bracarense II, Mansi IX, p. 779. 2) Mansi III, p. 1 sqq.  
3) Epist. 14. ad Anastasium, Mansi V, p. 1283. 4) Mansi IV, p. 477 sqq.



versus est ad conventum episcoporum in exedram iuxta mansionem apostolici. Et post excommunicationem Hugonis, Hlotharii filii, et Yminonis<sup>a</sup> ac complicum eorum, vim facientibus quibusdam episcopis et consentiente rege, dixit papa Iohannes, ut Hedenulfus, sua auctoritate ordinatus episcopus<sup>1</sup>, sedem suam teneret et episcopale ministerium ageret, et Hincmarus<sup>b</sup> caecus<sup>2</sup>, si vellet, missam cantaret et partem de rebus episcopii Laudunensis haberet. Et cum Hedenulfus apud eundem papam peteret<sup>c</sup>, ut eum ab illa sede absolveret, dicens se esse infirmum et velle intrare in monasterium, obtinere non potuit; sed praeceptum est illi ab eo, consentiente rege atque episcopis Hincmari fautoribus<sup>d</sup>, ut sedem suam teneret et episcopale ministerium ageret. Qui fautores Hincmari audientes, quod papa Iohannes dixerit, ut, si vellet, Hincmarus caecus missam cantaret, et rex consentiret, ut partem de episcopio Laudunensi haberet, insperate aliarum provinciarum episcopi, sed et aliarum regionum metropolitani, sine praeceptione papae, Hincmarum, vestimentis sacerdotalibus indutum, in praesentiam ipsius papae adduxerunt; indeque sublatum cantantes in ecclesiam illum duxerunt et signum benedictionis super populum dari fecerunt. Sicque synodus illa soluta est.

In crastina Hlodowicus rex, invitatus a Bosone, ad domum illius perrexit cum quibusdam primoribus consiliariis suis; et pastus ac honoratus ab illo, sed et ab uxore ipsius, desponsavit filiam Bosonis Karlomanno filio suo, et cum consilio ipsorum consiliariorum suorum dispertitus est honores Bernardi Gothiae markionis per Theodericum camerarium et Bernardum comitem Arvernium<sup>e</sup> et per alios secreta dispositos.

Papa Iohannes Trecas<sup>f</sup> movens, Cavillonem<sup>g</sup> petiit, indeque per Moriennam iter agens, per clusas montis Cinisii Italiam, a Bosone et uxore illius deductus, introivit.

Hlodowicus<sup>h</sup> rex Trecas<sup>i</sup> Compendium reversus, audita renunciatione legatorum suorum, quos ad sobrinum<sup>k</sup> suum Hlodowicum pro pace inter se obtinenda direxerat, cum quibusdam consiliariis suis venit usque ad Heristallium; et Kalendis Novembris simul convenientes apud Marsnam, utrimque pax firmata est inter eos, et condixerunt placitum purificatione sanctae Mariae, ut simul iterum convenirent, Hlodowicus, Karoli filius, ad Gundulfi-villam et Hlodowicus,

a) Ymmonis 1. b) Hicmarus A., et ita post. c) petierit A. d) fauct. A. e) Arvernium 1. f) Trecis A. g) Cabill. A. h) ita iam 1. i) a Trecis A. k) consobrinum A.

1) *Laudunensis.* 2) *Hincmarus Laudunensis libellum seu proclamationem Iohanni papae in synodo Trecensi obtulit contra Hincmarum Remorum archiepiscopum (Migne, Patrol. CXXIV, p. 1071). BOUQ.*



Hludowici filius, circa eundem locum in commoditate sua. In ipso quidem placito haec quae sequuntur inter eos consensu fidelium illorum servanda convenerunt:

*Conventio<sup>1</sup> quae inter gloriosos reges Hludowicum, filium Karoli imperatoris, itemque Hludowicum, filium Hludowici regis, in loco qui vocatur Furonis<sup>2</sup>, Kalendis Novembris, ipsis et communibus fidelibus ipsorum faventibus et consentientibus, facta est, anno incarnationis dominicae 878<sup>a</sup>, indictione 11; dicente<sup>b</sup> rege Hludowico, filio Karoli:*

*Sicut inter patrem meum Karolum et patrem vestrum Hludowicum regnum<sup>c</sup> Hlotharii divisum fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de regno paris<sup>d</sup> sui ex hoc aliquid purprisum<sup>e</sup> habet, iussu nostro illud dimittat. De regno vero quod Hludowicus imperator Italiae habuit, quia necdum ex illo aliqua divisio facta est, quicumque modo illud tenet ita teneat, donec Domino volente iterum simul venientes cum communibus fidelibus nostris inveniamus et diffiniamus, quid<sup>f</sup> ex hoc melius et iustius nobis<sup>g</sup> visum fuerit. De regno autem<sup>h</sup> Italiae, quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciant, quia partem nostram de illo regno et requisivimus et requirimus et Domino auxiliante requiremus.*

*Ista sequenti die statuta sunt:*

*Cap. 1. Ut, quia firmitas amicitiae et coniunctionis<sup>h</sup> nostrae modo, quibusdam praepedientibus causis, esse non potuit, usque ad illud placitum, quo simul [ut<sup>i</sup>] conveniamus statutum habemus, talis enim<sup>g</sup> amicitia inter nos manebit<sup>k</sup> Domino auxiliante de corde puro et conscientia bona et fide<sup>1. Tim. 1, 5.</sup> non ficta, ut nemo suo pari vitam, regnum aut fideles suos vel aliquid quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regni pertinet discupiat<sup>l</sup> aut forsconsiliet<sup>m</sup>.*

*Cap. 2. Ut, si in cuiuscumque nostrum regno pagani sive<sup>n</sup> pseudochristiani insurrexerint, unusquisque veraciter suum parem, ubicumque necesse<sup>o</sup> [illi<sup>i</sup>] fuerit et ipse<sup>p</sup> rationabiliter potuerit, aut per semet ipsum aut per suos fideles et consilio et auxilio, prout melius potuerit, adiuvet.*

*Cap. 3. Ut, si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Hludowicum adhuc parvulum, et alios filios vestros, quos*

a) DCCCLXXIX. 1. 2; ind. 12. A. S. b) d. r. Hl. f. K. des. S. c) regni Hl. divisio S. d) patris 1. A. e) usurpatum 1. f) quod S. g) deest S. h) coniunctionis corr. coniunctionis 1. i) deest 1. k) maneat S. l) ita A. S.; non velit 1. m) forte consiliet 1; forsconsiliet S. n) seu S. o) necessitas S. p) ipsi 1.

1) Edidit Sirmondus, Capit. p. 453 (LL. I, p. 515). 2) Furon prope Visé ad Mosam.



*Dominus<sup>a</sup> vobis donaverit, ut regnum paternum hereditario iure quiete tenere possint, et consilio et auxilio, prout melius potuero, adiuuabo. Si autem vos mihi superstes<sup>b</sup> fueritis, filios meos Hludovicum et Karlomannum et alios quos divina pietas mihi donare voluerit, ut regnum paternum quiete tenere possint, similiter et consilio et auxilio, prout melius potueritis, ut<sup>c</sup> adiuuetis, rogo.*

*Cap. 4. Ut, si aliqui susurriones et detractores, et qui paci nostrae invident et quietum regnum esse non patiuntur, inter nos lites et contentiones atque<sup>d</sup> discordias seminare voluerint, nullus nostrum hoc recipiat aut libenter acceptet, nisi forte hoc ad rationem coram nobis utrisque et communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si vero hoc noluerit, cum nullo nostrum aliquam societatem habeat, sed omnes illum sicut mendacem et falsarium<sup>e</sup> et inter fratres volentem seminare discordias communiter a nobis abiciamus, ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.*

*Cap. 5. Ut communiter, prout citius potuerimus, missos nostros ad Karlomannum et Karolum, gloriosos reges, dirigamus, qui eos<sup>f</sup> ad placitum quod octavo Idus Februarii statutum habemus invitent, et, ut nullatenus venire differant, obsecrent; et si secundum quod optamus venire voluerint<sup>g</sup>, communiter nos ad Dei voluntatem et sanctae ecclesiae salvationem ac communem honorem nostrum ac<sup>h</sup> profectum atque salvamentum totius populi christiani nobis commissi Domino cooperante ita coniungamus<sup>i</sup>, ut de cetero in eo qui unus est unum simus et unum velimus, [et<sup>k</sup>] id ipsum dicamus secundum apostolum et faciamus omnes, et<sup>l</sup> non sint in nobis ulla scismata.*

1. Cor. 1, 10.

*Cap. 6. Si autem illi obsecratione nostra vocati et invitati aut missi eorum ad praefatum placitum venire distulerint, nos, secundum quod statutum habemus, illuc omnino venire et nos secundum Dei voluntatem coniungere omnimodis non omittamus, nisi forte talis inevitabilis necessitas evenerit, pro quo<sup>m</sup> id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus quisque<sup>n</sup> pari suo hoc rescire faciat; et propterea amicitia nostra nec minuatur nec immutetur, donec Domino volente congruo tempore perfecte confirmetur.*

*Cap. 7. Ut res ecclesiarum, in cuiuscumque regno caput fuerit, tam de episcopatibus quam de abbatiis, sine ulla contradictione rectores ipsarum ecclesiarum illas possideant; et si aliquid ibi mali<sup>o</sup> factum a quoquam est, in*

a) v. D. S. b) ita 1. A.; superstites S. c) deest A. S. d) et S. e) ita A. S.; falsatorem 1. f) deest 1; ubi post: invitentur — obsecrentur. g) valuerint 1. h) et p. ac S. i) coniungamur 1. k) deest 1. l) ut 1. m) ita 1. A.; qua S. n) uterque S. o) misfactum S.; iniustum f. A.



cuiuscumque regno illae res consistunt, legaliter<sup>a</sup> exinde iustitiam reddere faciat<sup>b</sup>.

Cap. 8. Et quia per vagos et in tyrannica consuetudine irreverentes homines pax et quies regni perturbari solet, volumus, ut, ad quemcumque nostrum talis venerit, ut de his quae egit<sup>c</sup> rationem et iustitiam subterfugere possit, nemo<sup>d</sup> ex nobis illum<sup>e</sup> ad aliud recipiat vel retineat, nisi ut ad<sup>f</sup> rectam rationem et debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur aut de regno expellatur vel deleatur<sup>g</sup>.

Cap. 9. Volumus, ut hi<sup>h</sup> qui merito proprietatem illorum in regno nostro perdiderint<sup>i</sup> ita iudicentur<sup>k</sup>, sicuti<sup>l</sup> temporibus antecessorum nostrorum inventum fuit; qui vero dicunt se iniuste proprietatem illorum<sup>m</sup> perdidisse, veniant in nostram praesentiam, et sicut iustum est, ita illis<sup>n</sup> iudicetur<sup>o</sup>, et sua recipiant.

Hoc dicto, Hludowicus, Hludowici filius, ad sua rediit; et Hludowicus, Karoli filius, per Arduennam veniens,

879. anno incarnationis dominicae

in Longlario<sup>p</sup> 1) nativitatem Domini celebravit. Et aliquandiu in Arduenna demorans, indeque iter agens, circa purifi- Febr. 2.  
cationem sanctae Mariae ad Pontigonem venit; volens<sup>q</sup> ire in partes Augustiduni ad comprimendam rebellionem Bernardi<sup>2</sup> markionis, usque ad Trecas perrexit. Sed quia ingravescente infirmitate sua — dicebatur enim veneno infectus — longius ire non potuit, filium et aequivocum suum Hludowicum baiulationi Bernardi comitis Arvernici<sup>r</sup> specialiter committens, Hugonem abbatem et Bosonem et praefatum Bernardum cum filio suo, sed et Theodericum cum sociis suis Augustidunum misit, quatenus ipsum comitatum ad opus Theoderici, cui antea illud dederat<sup>s</sup>, evindicarent. Ipse autem cum magna difficultate per Iodrum<sup>4</sup> monasterium Compendium venit, et sentiens se mortem<sup>s</sup> evadere non posse, per Odonem Belgivacensem episcopum et Albuinum

a) legaliter 1. b) faciant A. c) egerit S. d) nullus A. e) deest S.  
f) superscr. 1. g) deiciatur S. h) e corr. 1; hii A.; his S. i) perdiderit A.;  
perdiderunt S. k) iudicet A.; iudicetur S. l) sicut S. m) ita A. S.; suam 1.  
n) ita A. S.; de illis 1. o) iudicemus A. p) Longlario A. q) et v. A.  
r) Arduennici 1. s) se ab infirmitate liberari non posse A.

1) Longlier in ducatu Luxemburgico. 2) Bernardus iste, alterius Bernardi et Blichildis, Roriconis Cenomannensis comitis filiae, filius, Gothiae marchionatu donatus fuerat anno 865, post Humfridum. Anno 878. in Trecensi synodo anathemate percussus est et honoribus privatus. BOUQ. 3) Theodericus frater erat Ekhardi comitis Augustidunensis. 4) Jouarre in pago Meldensi (dép. Seine-et-Marne).



comitem coronam et spatam ac reliquum regium apparatus filio suo Hludowico misit, mandans illis qui cum eo erant, ut eum in regem sacrari ac coronari facerent. Ipse autem  
 Apr. 11. 4. Idus Aprilis in die parasceue iam vesperi<sup>a</sup> obiit; et in crastina, scilicet in vigilia sancti<sup>a</sup> paschae, in ecclesia sanctae Mariae sepultus fuit. Audientes autem Odo et Albuinus illum esse defunctum, quae portaverant Theoderico camerario dederunt et cum festinatione reversi sunt. Illi autem qui cum<sup>b</sup> filio regis erant, audita morte patris ipsius infantis, mandaverunt primoribus qui in illis partibus erant, ut apud Meldis convenirent obviam eis et ibi tractarent, quid de cetero agere deberent. Inter Bosonem autem et Teodericum, mediante Hugone abbate, conventum est, ut Boso comitatum Augustidunum haberet, et Theodericus abbatias quas Boso in istis partibus habuerat in commutatione acciperet.

Gozlenus<sup>c.\*</sup> denique abbas, memor insidiarum ac iniuriarum suarum, quas a suis aemulis tempore praecedenti<sup>d</sup> sustinuerat, fisus de familiaritate quam cum Hludowico Germaniae rege et cum uxore illius atque cum primoribus illius terrae, quando captus in bello apud Andrunacum<sup>e</sup> et trans Rhenum ductus fuerat<sup>1</sup>, obtinuit, coepit cogitare, qualiter talionem suis contrariis redderet, et Chuonradum<sup>f. 2</sup> Parisiaci comitem spe falsa de praecellenti potestate deludens et quaedam ingenia<sup>g</sup> qualiter id exequi posset enarrans, sibi coniunxit. At antequam illi qui cum regis filio erant ad condictum placitum apud Meldis venirent, acceleraverunt quoscumque potuerunt episcopos et abbates atque potentes homines ad conventum vocare, ubi Thara<sup>3</sup> Isaram influit, eo sub obtentu, ut, quia rex<sup>h</sup> defunctus erat, unanimiter tractarent de regni pace atque utilitate. His autem qui convenerunt persuaserunt, ut Hludowicum Germaniae regem in hoc regno convocarent et eius largitione honores quos ac tenus obtinere non potuerunt sine ulla dubitatione haberent. Et miserunt nuncios<sup>i</sup> suos ad praedictum Hludowicum et uxorem eius, mandantes, ut usque Mettis venire accelerarent,

\* *Manu scribae superscriptum* 1: iste abbas Sancti Amandi fuit et postea episcopus Parisiorum.

a) ita 1. A.    b) Hludowico add. A.    c) Gozlinus A., semper.    d) praecedente corr. praecedenti 1.    e) Andruacum 1.    f) Chonr. A., semper.    g) ita etiam A., ubi qualiter deest.    h) deest 1.    i) missos A.

1) V. supra a. 876, p. 133.    2) De quo cf. Dümmeler II, p. 117, n. 3) Le Thérin, influit in Isaram apud Creil.



et illic omnes episcopos et abbates ac primores istius regni ad illum perducere possent. Sicque per Silvacum et secus Axonam multas depraedationes ac rapinas facientes, usque ad Viridunum venerunt. Veniente autem Hludowico Mettis, iterum ad illum nuncios<sup>a</sup> miserunt, postulantes, ut usque ad Viridunum veniret, quatenus commodius populum istius regni ad illum perducere possent. Veniens autem Hludowicus usque ad Viridunum, tanta mala exercitus eius in omnibus nequitiis egit, ut paganorum<sup>b</sup> mala facta illorum vincere viderentur. Audientes autem Hugo et Boso ac Theodericus et illorum socii, quae Gozlenus et Chuonradus cum illorum complicitibus machinabantur, miserunt Vultarium<sup>c</sup> episcopum Aurelianensem et Goiramnum ac Anserum<sup>d</sup> comites<sup>1</sup> ad Hludowicum apud Viridunum, ut ei offerrent<sup>e</sup> partem de regno Hlotharii iunioris, quam Karolus contra fratrem suum<sup>f</sup> Hludowicum, ipsius Hludowici patrem, acceperat, ut, accepta illa portione regni, in regnum suum rediret et quod reliquum de regno patris sui Karoli Hludowicus habuit suis filiis consentiret. Hludowicus vero et sui acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Gozlenum et Chuonradum ac complices illorum reiecerunt; et accepta regni parte sibi oblata, Hludowicus ad palatium suum Franconofurth<sup>g</sup> rediit. Audiens autem hoc uxor illius<sup>2</sup>, satis moleste tulit, dicens, quia, si illa cum eo venisset, totum istud regnum haberet. Angustiantes autem Gozlenus et Chuonradus, ad ipsam reginam fecerunt confugium, querimoniam agentes, qualiter essent decepti; et acceptis missis<sup>h</sup>, qui eos de parte Hludowici confortarent, sed et alios quasi obsides, reversi sunt, rapinas et depraedationes facientes quocumque pervenire potuerunt, renunciantes sociis suis, Hludowicum quantocius cum exercitu magno venturum, quoniam ad praesens venire non<sup>i</sup> poterat, quia nunciatum est ei non incerta relatione<sup>3</sup>, fratrem suum Karlomannum paralisi percussum et iam morti vicinum<sup>k</sup> suumque filium de<sup>l</sup> concubina nomine Arnulfum partem regni illius occupasse, et ideo in illa<sup>m</sup> parte festinus pergeret; sicut et fecit. Sopita vero, sicut potuit, in illis partibus commotione, reversus est ad uxorem suam. Audientes autem Hugo abbas et ceteri primores, qui cum filiis quondam senioris sui Hludowici, Hludowico scilicet et Karlo-manno, agebant, Hludowicum cum uxore sua in istas partes

a) missos A. b) ita etiam A. c) Galterum A. d) Anscherum A. e) offerent 1. f) ipsius Hl. A., ubi mox ips. Hl. desunt. g) Franconofurt A. h) ad illorum socios add. A. i) deest A. k) quia in brevi decessit add. A. l) ex A. m) illas partes A.

1) *Dümmler II*, p. 119, n. 2) *Liutgard*. 3) *Cf. Ann. Fuld. h. a.*



venturum, quosdam episcopos, Ansegisum<sup>1</sup> et alios, miserunt ad Ferrarias monasterium<sup>2</sup>, et ibi eos consecrari et coronari in reges fecerunt.

Interea Boso, persuadente uxore sua, quae nolle<sup>a</sup> vivere se dicebat, si, filia imperatoris Italiae et desponsata imperatori Graeciae<sup>3</sup>, maritum suum regem non faceret, partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis pro<sup>b</sup> abbatibus et villis eis promissis et postea datis, episcopis illarum partium persuasit, ut eum in regem ungerent et coronarent<sup>4</sup>. Hugo etiam, filius iunioris Hlotharii ex Waldrada, collecta praedonum multitudine, regnum patris sui est molitus invadere.

Karolus, Hludowici quondam regis Germaniae filius, in Longobardiam perrexit et ipsum regnum obtinuit. Cum quo apud Urbam<sup>c</sup>, antequam montem Iovis transiret, Hludowicus et Karlomannus loqui perrexerunt. Et illo eunte in Longobardiam, ipsisque reversis ab eodem itinere, nuntiatum est eis, quod Nortmanni qui erant in Ligeri terreno itinere terras illas depraedabant<sup>d</sup>; et statim moti in illas partes, in  
Nov. 30. die missae sancti Andreae eos invenientes, multos ex eis occiderunt et plures in Vencenna<sup>e.5</sup> fluvio immerserunt<sup>f</sup>, et exercitus Francorum Deo volente cum victoria incolomis remeavit.

Anno incarnati verbi 880.

Hludowicus rex Germaniae una cum uxore sua ab Aquis in istas partes iter arripuit et usque ad Duziacum venit; ubi Gozlenus et Chuonradus obviam illi venerunt, quam plurimis iam de illorum complicitibus ab illorum societate retractis. Indeque Hludowicus et uxor sua ad Attiniacum indeque ad Ercuriacum<sup>g.6</sup> et sic usque ad Ribodi-montem<sup>7</sup> pervenerunt. Et videntes, quia Gozlenus et Chuonradus quod ei polliciti fuerant adtendere nequiverunt, et ipse ac uxor sua quae speraverunt obtinere non possent, pactis<sup>h</sup> amicitiiis cum filiis Hludowici<sup>i</sup>, et condicto placito futuro mense Iunio ad Gundulfi-villam, reversi sunt in patriam suam. Et inveniens Hludowicus in itinere Nortmannos, Do-

a) molle corr. nolle 1.    b) bis scr. 1.    c) ita A.; urbem 1.    d) depraedabantur A.    e) Vigenna A.    f) emergerunt 1; absorti perierunt A.    g) Erturicum A.    h) peractis 1.    i) regis Francorum add. A.

1) Archiepiscopum Senonensem.    2) Ferrières.    3) Constantino, Basilii imperatoris filio.    4) LL. I, p. 547; Marion, Cart. de Grénoble p. 21. ex codice.    5) La Vienne.    6) De Eclj prope Axonam (dép. Ardennes) cogitavit Dümmler II, p. 132, n.; alia proposuit Mabillon, De re diplom. p. 294.    7) Ribemont ad Isaram. BOUQ.



mino opem ferente magnam partem ex illis occidit exercitus  
 suus, sed in Saxonia magnum dampnum de<sup>a</sup> fidelibus suis  
 per Nortmannos sustinuit<sup>1</sup>. Filii autem Hludowici quondam  
 regis<sup>b</sup> reversi sunt Ambianis civitatem, et sicut fideles  
 illorum invenerunt, regnum paternum inter se dividerunt, id  
 est ut Hludowicus quod de<sup>c</sup> Francia residuum erat ex<sup>d</sup> pa-  
 terno regno, sed et Niustriam<sup>e</sup> cum marchis<sup>f</sup> suis haberet,  
 et Karlomannus Burgundiam et Aquitaniam cum marchiis<sup>g</sup>  
 suis haberet, et quique de proceribus secundum convenientiam,  
 in cuius divisione honores haberent, illi se commendarent.  
 Inde Compendium redientes<sup>h</sup>, ibi pascha Domini celebra-  
 verunt, et post haec per Remum et Catalaunis civitates ad  
 placitum condictum mediante Iunio apud Gundulfi-villam  
 obviam suis sobrinis<sup>i, 2</sup> venerunt. Ad quod placitum Hludo-  
 wicus, infirmitate detentus, venire non potuit, sed pro se  
 missos suos direxit. Karolus autem a Longobardia rediens,  
 illuc venit. In quo placito communi consensu inventum est,  
 ut ipsi reges Hludowici quondam filii ad Attiniacum redirent  
 cum scara Hludowici Germaniae regis et Hugonem, Hlotharii  
 iunioris filium, impeterent. Quo venientes, quia Hugonem  
 non invenerunt, sororium illius Teutbaldum<sup>k</sup> bello adgressi  
 sunt, et multis interfectis, illum in fugam verterunt. Indeque  
 cum hoste ex regnis suis una cum praedicta scara Hludo-  
 wici regis Germaniae praedicti reges, ordinatis qui regnum  
 suum contra Nortmannos in Ganto<sup>3</sup> residentes custodirent, in  
 Burgundiam versus Bosonem per mensem Iulium a Treca  
 civitate perrexerunt, Karolo rege illuc cum exercitu<sup>l</sup> suo  
 venturum. In quo itinere, eiectis<sup>m</sup> de castro Maticano<sup>n, 4</sup>  
 Bosonis hominibus, ipsum castellum ceperunt et cum<sup>o</sup> comi-  
 tatu Bernardo<sup>p</sup> cognomento Planto-pilosa<sup>q</sup> dederunt; et per-  
 gentes simul Karolus, Hludowicus et Karlomannus ad obsi-  
 dendam Viennam, in qua Boso uxorem suam cum filia et  
 magnam partem de suis hominibus relinquens, fugam ad  
 montana quaedam arripuit. Karolus autem, qui se una cum  
 sobrinis<sup>i</sup> suis Viennam obsessurum promiserat, mox ut  
 quaedam sacramenta utrimque inter eos facta fuerunt, ab ipsa  
 obsidione recessit et in Italiam perrexit. Indeque Romam  
 veniens, a Iohanne papa se in die nativitatis Domini in im-  
 peratorem consecrari obtinuit.

a) *deest A.* b) Francorum *add. A.* c) *deest 1.* d) et *corr. ex 1.* e) Neu-  
 striam *A.* f) *markis A.* g) *marchis A.* h) *redeuntes A.* i) *consobrinis A.*  
 k) *Teutboldum A.* l) *hoste sua venturo A.* m) *electis 1.* n) *Matescuneo 1.*  
 o) *eum comitatum A.* p) *Bernardi 1.* q) *Plantapilosa A.*

1) *De pugna celeberrima 2. Febr. h. a. agitur, in qua cecidit Brun-  
 dux Saxoniae.* 2) *Hludowici Germaniae regis filius.* 3) *Gent.*  
 4) *Mâcon.*



Anno incarnationis dominicae 881.

remanente Karlomanno cum suis contra Bosonis seditionem, Hludowicus, frater eius, reversus est in partem regni sui contra Nortmannos. Qui vastantes omnia in suo itinere, Corbeiae monasterium et Ambianis civitatem aliaque sancta loca occupaverunt, de quibus non modicam partem occisis ceterisque fugatis, et ipse Hludowicus una cum suis retrorsum, nemine persequente, fugam arripuit, divino manifestante iudicio, quia quod a<sup>a</sup> Nortmannis fuerat actum non humana, sed divina virtute patratum extiterit. Iterum namque Nortmannis regredientibus in partem regni sui, isdem Hludowicus cum quibus potuit obviam<sup>b</sup> eis perrexit et castellum materia lignea quorundam consiliariorum suorum hortatu in loco qui dicitur Stromus<sup>1</sup> clausit; quod magis ad munimen paganorum quam ad auxilium christianorum factum fuit, quoniam ipse rex Hludowicus invenire non potuit, cui illud<sup>c</sup> castellum ad custodiendum committere<sup>d</sup> posset. Indeque reversus,

anno dominicae incarnationis 882.<sup>e</sup>

Apr. 8. apud Compendium nativitatem Domini, sed et sanctum pascha celebravit. Ubi nunciatum est, quia sobrinus<sup>f</sup> suus Hludowicus, Hludowici regis Germaniae filius, inutiliter sibi et ecclesiae ac regno vivens, morti subcubuit<sup>2</sup>. Venientes autem primores partis illius regni quae ipsi Hludowico in locarium<sup>g</sup> data fuerat, quatenus quae pater et<sup>h</sup> avus illorum habuerunt eis consentiret, voluerunt se illi commendare. Sed consilio primorum suorum propter sacramenta quae inter eum et Karolum facta fuerunt non eos in commendationem suscepit, sed scaram hostilem, cui praefecit Theodericum<sup>i</sup> comitem, quasi in adiutorium illorum contra Nortmannos disposuit. Et ipse ultra Sequanam, acsi recepturus Brittonum principes et bellaturus contra Nortmannos, usque Turonis perrexit<sup>3</sup>. Ubi infirmatus est corpore<sup>4</sup>, et lectica deportatus usque ad monasterium Sancti Dyonisii, mense Augusto<sup>5</sup> ibi mortuus est et sepultus.

Primores autem regni expeditum nuntium miserunt ad Karlomannum, mandantes, ut, relictis<sup>k</sup> qui Viennam obsiderent et seditioni Bosonis resisterent, ipse quantocius ad

a) in A. b) eis o. ire p. A. (alia quae P. ex editione attulit codex non agnoscit). c) idem A. d) committeret corr. committere 1. e) in ras. 1. f) consobrinus A. g) ita etiam A. (ed. perperam Lotharingia). h) eius 1. i) Teod. A. k) relictos corr. relictis 1.

1) *Estruy ad Scaldim (dép. Nord, arrond. Cambrai). DEH. Cf. Ann. Vedast. h. a.* 2) *D. 20. Ianuarii.* 3) *Vir plenus omnibus immunditiis et vanitatibus Aim. cont. Quae Dümmler I, p. 207, n. vix recte Hincmaro vindicavit.* 4) *Cf. Ann. Vedast.* 5) *D. 5. Augusti.*



eos venire festinaret, quoniam hostiliter ipsi praeparati erant in occursum Nortmannorum, qui civitates Coloniam et Treveris cum monasteriis sibi contiguas iam incensas haberent, et monasterium Sancti Landberti in Leudica et Proniae<sup>a</sup> et Indae, Aquis etiam palatium omniaque monasteria parochiarum, Tungrensium videlicet, Atrebatensis, Cameracensis<sup>b</sup>, et partem Remensis parochiae suae dicioni addita<sup>c</sup>, et partim cum castello Mosomagensi incensa, et Walam Mettensem episcopum, contra sacram auctoritatem et episcopale ministerium armatum et bellantem, occisum et socios eius fugatos habebant<sup>d. 1.</sup> Ipsi autem parati erant illum recipere et se illi commendare; sicut et fecerunt. Dum autem in eodem procinctu degeret, mense Septembrio nunciatum est illi certo nuntio, quia, capta Vienna, uxorem Bosonis et filiam eius Richardus, frater ipsius Bosonis, ad comitatum suum Augustudunensem adductam habebat. Sed et Astingus et complices illius Nortmanni a<sup>e</sup> Ligeri egressi, maritimas partes petierunt.

Karolus autem nomine imperator contra Nortmannos venit cum multo exercitu usque ad illorum firmitatem. Quo veniens, concidit cor eius, et placitamento<sup>f</sup> Godafridum<sup>g</sup> cum suis, ut baptismum<sup>h</sup> susciperet et Frisiam aliosque honores quos Roricus habuerat recipere<sup>i</sup>, interventione quorundam obtinuit. Sigefrido etiam et Vurmoni illorumque complicibus plura milia argenti et auri, quae de thesauro Sancti Stephani Mettensis aliorumque sanctorum locis arripuit, eis dedit, et ad devastandam regni sui atque consobrini sui partem, sicut antea fecerant, residere permisit<sup>2.</sup> Hugoni autem, Hlotharii iunioris filio, facultates ecclesiasticas Mettensis episcopii, quas sacri canones futuro episcopo reservari praecipunt, ad consumendum<sup>k</sup> commisit. Engilbergam<sup>l</sup> vero, Hludowici Italiae regis uxorem, quam imperator in Alemanniam<sup>m</sup> transduxerat, per Leudoardum<sup>n</sup> Vercellensem episcopum Iohanni papae, sicut petierat, Romam remisit; et sic versus Warmatiam<sup>o</sup>, placitum suum Kalendis Novembris habiturus, a Nortmannis recessit. Ad quod placitum Hugo abbas, quibusdam sociis secum assumptis, perrexit<sup>p</sup> pro petitione partis regni, quam frater suus<sup>3</sup> Hludowicus in locarium acceperat,

a) Promiae A. b) Camar. A. c) addicta A. d) e corr. 1. e) et corr. a 1. f) ita A.; placida mente 1. g) Godafr. A. h) baptisma corr. baptismum 1. i) exciperet interveniente q. obtentu A. k) consummendum 1. l) Angilb. A. m) Alam. A. n) Leutdardum A. o) Warmantiam 1. p) a. ad idem placitum Karolum adiit A.

1) D. 10. April.; cf. Dümmler II, p. 161. 2) Plura addit Aimoini continuator de Parisiis obsessis, quae ad a. 886. pertinent. 3) Karoli.



ut, sicut ipse Karolus olim promiserat, Karlomanno restitueret. Unde nil certi obtinuit; sed absentia illius in isto regno maximum<sup>a</sup> detrimentum fecit, quia Karломannus non habuit unde Nortmannis posset resistere, quibusdam regni primoribus ab ipsius auxilio se retrahentibus. Quapropter usque circa Laudunum castellum<sup>b</sup> venerunt et quae in gyro ipsius castelli erant depraedati sunt et incenderunt, disponentes Remi venire, indeque per Suessiones et Noviomagum pergentes, ad praefatum castellum expugnandum redire et regnum sibi subicere. Quod pro certo audiens Hincmarus episcopus, cuius homines de potestate Remensis episcopii cum Karломanno erant, vix<sup>c</sup> noctu cum corpore sancti Remigii et ornamentis Remensis ecclesiae, sicut infirmitas corporis eius posebat, sella gestatoria deportatus, et canonicis ac monachis atque sanctimonialibus hac illacque dispersis, ultra Matronam in quadam villa quae Sparnacus nominatur vix fuga lapsus pervenit. Scara autem de Nortmannis plenitudinem illorum praeveniens, usque ad portam Remi<sup>d</sup> pervenit. Qui ea quae extra civitatem invenerunt depraedati sunt et villulas quasdam incenderunt; sed civitatem, quam nec murus nec humana manus defendit, Dei potentia et sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt. Karломannus autem superventionem Nortmannorum audiens, cum quibus potuit eos adgressus est, et magnam partem de his qui praedam ducebant occisis, et partim in Axona<sup>e</sup> necati sunt; maxime autem ex illis qui Remum<sup>d</sup> adierunt, volentibus ad socios suos redire, praedam excussit. Maior vero et fortior pars de Nortmannis<sup>f</sup> in quadam villa quae vocatur Avallis<sup>1</sup> se reclusit, ubi eos illi qui erant cum Karломanno sine periculo sui adire nequiverunt. Unde circa vesperam pedetemptim retro reversi, in vicinis villis se collocaverunt. Nortmanni vero, mox ut luna eis illuxit, ab ipsa villa egressi, itinere quo venerant redierunt<sup>g</sup>.

a) magnum A.    b) castaellum 1.    c) e corr. 1.    d) Remis A.    e) Saxonia corr. Axona 1.    f) Nortmanis 1.    g) codex 1 addit chartam Odalrici archiepiscopi (a. 962—969) et cleri Remensis.

1) *Avaux*.

#### Emendanda et Addenda.

p. 1, n. 4. l.: Corbeny. — p. 57. ad verba secundum edicta beati Gregorii pone notam: II. papae, Mansi XII, p. 264. — p. 63, n. 2. adde: Hanc epistolam Adoni archiepiscopo Viennensi inscriptam editurus est Pflugk-Harttung, Acta pont. II, p. 28.